

BIBLIOTHECA
SCRIPTORUM MEDII RECENTISQUE AEVORUM
IOSEPHO FÓGEL MODERANTE REDIGIT LADISLAUS JUHÁSZ

SAECULA XV—XVI.

IACOBUS CANTER FRISIUS

ROSA ROSENSIS

EDIDIT
BOHUMIL RYBA

MCMXXXVIII. — K. M. EGYETEMI NYOMDA, BUDAPEST

BIBLIOTHECA SCRIPTORUM MEDII RECENTISQUE AEVORUM

SAECULA XII—XIII.

Pengö

P. magister quondam Bele regis Hungarie notarius, *Gesta Hungarorum*, ed. L. *Juhász*. 1932. — — — — — 6.—

SAECULUM XIII.

De orthographia (incerti auctoris), ed. L. K. *Born*. (Apparebit.)
Garlandia, Iohannes de, *Integumenta fabularum Ovidii*, ed. L. K. *Born*. (Excuduntur.)

SAECULA XIII—XIV.

Dantes Alagherius, *Epistolae*, edd. H. *Nachod*—P. *Stern*. (Apparebunt.)

SAECULA XIV—XV.

Ravenna, Iohannes Conversinus de, *Epistolarum liber*, ed. L. *Smith*. (Excuduntur.)
Salutatus, Coluccius, *De saeculo et religione*, ed. B. L. *Ullman*. (Apparebit.)

SAECULUM XV.

Barbarus, Franciscus, *Epistolae*, ed. P. *Gothein*. (Apparebunt.)
— *Orationes. Una cum orationibus ad eundem habitis*, ed. P. *Gothein*. (Apparebunt.)
Barius, Nicolaus—**Kostolan**, Georgius Polycarpus de—**Hungarus**, Simon—**Zagabriensis**, Georgius Augustinus, *Reliquiae*, ed. L. *Juhász*. 1932. — — — — — 2.—
Bonfinis, Antonius de, *Rerum Ungaricarum Decades*, edd. I. *Fögel*—B. *Iványi*—L. *Juhász* (in IV tomis).
Tomus I. — *Decas I. Cum introductione et III reproductionibus codicum phototypicis*. 1936. — — — — — 16.—
Tomus II. — *Decas II*. 1936. — — — — — 15.—
Tomus III. — *Decas III*. 1936. — — — — — 15.—
Tomus IV. — *Decades IV. et dimidia V. Cum indice nominum*. (Excuduntur.)
Brandolinus, Aurelius Lippus, *Dialogi*, ed. P. *Angyal*. (Apparebunt.)
Callimachus Experiens, *Attila. Accedunt opuscula Quintii Aemiliani Cimbriaci ad Attilam pertinentia*, ed. T. *Kardos*. 1932. — 2.30
Corsinus, Amerigus, *Compendium in vitam Cosmi Medicis ad Laurentium Medicem*, ed. L. *Juhász*. 1934. — — — — — 2.70
Cortesius, Alexander, *De laudibus bellicis Matthiae Corvini Hungariae regis*, ed. I. *Fögel*. 1934. — — — — — 2.70
Facius, Bartholomaeus, *Invectivae in Laurentium Vallam*, ed. R. *Vallentini*. (Apparebunt.)
Ficinus, Marsilius, *Epistolae*, ed. P. O. *Kristeller*. (Apparebunt.)
Galeottus Martius, v. *Martius Narniensis*, *Galeottus*.
Hungarus, Simon, v. *Barius*, Nicolaus.
Ianus Pannonius, v. *Pannonius*, *Ianus*.
Kostolan, Georgius Polycarpus de, v. *Barius*, Nicolaus.

Vide paginas 3. et 4. involucri!

BIBLIOTHECA
SCRIPTORUM MEDII RECENTISQUE AEVORUM
IOSEPHO FÓGEL MODERANTE REDIGIT LADISLAUS JUHÁSZ

SAECULA XV—XVI.

IACOBUS CANTER FRISIUS

ROSA ROSENSIS

EDIDIT
BOHUMIL RYBA

MCMXXXVIII. — K. M. EGYETEMI NYOMDA, BUDAPEST

Iq. kot
114 958



INTRODUCTIO.

I. - De Iacobi Canteris vita et operibus.

Quicquid ad expertum posses conferre poetam,
Non etiam invalidus carmine Canter habet.
*Huttenus.*¹⁾

Iacobus Canter ex antiqua et docta familia Groningensi (in Hollandia) ortus est. Cuius pater Ioannes (c. 1422—97), artium liberalium et legum civilium doctor, cum uxore Abele et filiis Andrea (I), Petro, Ioanne, Andrea (II), Iacobo filiabusque Usula et Ghebba domi Latine colloquebatur; eorum „teneram aetatem recens editam una et materno lacte et Latinis litteris imbui solitam“ iam Erasmus Roterodamus admiratus est²⁾.

Quo anno Iacobus Groningae natus sit, incertum est. Annus ab iis, qui Ioannis Koelhoff civis Coloniensis narrationem³⁾ ad Iacobum pertinere iudicarunt, computando c. 1471 inventus esse videtur. Koelhoff enim unum e filiis Ioannis Canteris, iuvenem fere 18 annorum c. 15. Aug. 1489 Coloniā venisse et omnium animos admiratione percussisse scripsit, cum de quacunque re sibi proposita doctissime disserere potuisset et sacras scripturas, ecclesiae doctores, poetas Romanos penitus se nosse ostendisset. Re vera autem Iacobum Coloniā duobus annis ante venisse ex albo universitatis Coloniensis apparet, ubi iam 11. Mai 1487 canonibus ascriptus est⁴⁾. Qua de causa narratio Koelhoffi ad *Andream* (II) fratrem videtur esse referenda, qui demum 14. Iul. 1491 in universitate Coloniensi condicione sane singulari albo ascriptus est⁵⁾. Cum *Andreas* I, puer mirabilis, decimum annum agens a Friderico III. 25. Iun. 1472 ad coronandum Vindobonam vocatus in itinere mortuus sit, *Andream* II non prius quam exeunte a. 1472 natum esse elucet. *Andreas* (II) postea civitatis Coloniae poeta et orator publicus factus est et inde pecuniam ab a. 1504 usque ad 1509 singulis annis capiebat.

Utrique fratri eloquentia vix cessisse *Ioannes* videtur, qui 3. Nov. 1483 Coloniae et 4. Nov. 1484 Heidelbergae albo civium academicorum ascriptus est, in aula Friderici III. (†1493) imperatoris officium astrologi praestitit et ante a. 1523 mortuus est.

Andreas ambos et Ioannem fratres *Iacobus* eloquentia et doctrina videtur aequasse. Iam a. 1489 Antwerpiae degens in officina celeberrima Gerardi Leonis (Leeu) revelationes S. Brigittae, centones Probae Romanae et opusculum Francisci Petrarcae De secreto conflictu curarum suarum edenda curavit⁶⁾. Iacobi epistolam dedicatorem et prologos ad Probae editionem scriptos Erasmus iuvenis summa cum laude extulit⁷⁾. Praefatio Iacobi editioni Petrarcae praemissa quoque testatur, quantum litteris nascentibus imbutus sit⁸⁾.

Antwerpiae non diu moratus plures in Germania urbes peragravit neque in ulla diutius haesit. Qua in universitate doctoris artium liberalium gradum adeptus sit, ignoramus. Ubi gentium commoratus sit, parum liquet, nisi quae pauca e praefationibus librorum ab eo editorum et ex epistulis ad Conradum Celtem missis colligi possunt.

Anno 1491 Augustae Vindelicum erat et astrologiae operam dabat. Ibi Bonati Tractatus astronomiae indice instructos edidit⁹⁾. Vestigia commo-

¹⁾ In Lossios querel. I II. el. X. v. 187 sq. (Opera, ed. E. Böcking III. p. 75).

²⁾ In epistula ad Iac. Canterem a. 1489 data (P. S. Allen, Opus epistolarum Des. Erasmi Roterodami I., Oxonii 1906, p. 127).

³⁾ Die Croniken der deutschen Städte, vol. XIV. (Cöln III.), Lipsiae 1877, p. 873.

⁴⁾ H. Keussen, Die Matrikel der Universität Köln II., Bonn 1919, p. 212.

⁵⁾ Ibid. p. 300: propter suae personae singularem qualitatem et notabilitatem nihil ab eo petium fuit.

⁶⁾ Conf. editiones 1—3.

⁷⁾ Allen I. c. p. 127: Tantum enim mehercule veteris tum eloquentiae tum eruditionis prae se ferunt, ut nisi iam ubique gentium tuorum natalium splendore nobilitata esset Frisia, nemo te neque barbara regione neque his natum saeculis crederet.

⁸⁾ Namque ipsorum auctor... is est, qui hac posteriori aetate linguam Latinam ceu in pulvere iacentem erexit, is, qui priscum illum loquendi nitorem nostro aevo primus restituit. Secuti sunt eum, faveor, eloquentiores, verum et plurima gratia debetur, qui rem ad ima prope fundamenta collapsam diligentia sua restauravit.

⁹⁾ Conf. editionem 4.

rationis Augustanae etiam in carminibus de Beata Maria Virgine et in dialogo De solitudine, quae in codicibus olim Augustanis servata sunt, conspiciuntur¹⁾).

Unde Iacobum fortasse a. 1492, antequam Cumanus (Georgius Kaufmann) ex eo oppido a. 1493 profectus est, ad Conradum Celtem visendum Ingolstadtum abiisse verisimile est. Dicacitatem Iacobi molestam a Celte in Odarum l. II. c. 20²⁾ ludibrio habitam esse quidam coniciunt³⁾).

Ad eandem vel aliam Canteris apud Celtem commorationem Ulsenius Norimbergensis alludere videtur⁴⁾).

Si tempus eo die, quo epistula Gracci Pierii (Ioh. Kranchenberger), cancellariae imperialis secretarii, ad Celtem esse data in apographo affirmatur⁵⁾ fulciri stabilisque potest, Canterem a. 1493 Lincii apparuisse hospitumque animos loquacitate et devinxisse et irritasse iudicandum est.

A. 1494 iis, qui nuptias Maximiliani carminibus celebraverunt, ne Canter quidem videtur defuisse; eo anno ab imperatore poeta laureatus creatus est.⁶⁾

A. 1495 et 1496 Maguntiae (Mainz) degebat; tunc enim versus ad Gresmundi De carnisprivo dialogum adiunxit et Pseudo-Platonis Axiochum a Rudolpho Agricola in Latinum conversum edidit⁷⁾).

Postea Iacobus in Bohemia meridionali victum sibi quaerebat et nobilium Rosensium (Rosenberg), qui Crumloviae (Český Krumlov, Krumau) residebant, favorem conciliavit. Ex epistulis a Cantere in Curva Insula (i. e. Crumloviae) ad Celtem scriptis, quarum exempla ad nos pervenerunt⁸⁾, prima 21. Nov. 1497, ultima 7. Iun. 1498 data esse videtur.

Die 4. Mai horum annorum vel proximorum Canter in monasterio Coronae Aureae (Zlatá Koruna, Goldkron), quod 5 chiliometris a Crumlovía abest, suam Rosam Rosensem versibus compositam⁹⁾ ad finem perduxit.

E tribus fratribus Rosensibus¹⁰⁾ (Vocone [*1459], Petro [*1462] et Ulrico [*1471]) Petrum, qui annis 1476–78, et Ulricum, qui annis 1487–89 Bononiae litteris humanioribus imbuti erant¹¹⁾, versibus delectari posse poeta sine dubio confidebat. Cum originem horum nobilium Bohemorum ab Ursini Italici indeque a familiis Troianis ducendam esse primus Venceslaus Rovensis (1448–1531), Rosensium cancellarius, a. 1469 finxisse videatur¹²⁾, con-

¹⁾ Conf. codices 1–2. ²⁾ Celtes, Libri odarum quattuor, ed. F. Pindter, in hac Bibliotheca, 1937.

³⁾ Conf. G. Baugh, Arch. f. hessische Geschichte, N. F. V., 1907, p. 38, annot.; H. Rupprich, Der Briefwechsel des Konrad Celtis, München 1934, p. 79, annot. 1. In Odarum Celtis editione postuma (1513) Frisonis non nominati locum „Henricus gravis artium magister“ cepit.

⁴⁾ In epistula 27. Iun. 1496 (?) data (Rupprich l. c. n. 117, p. 193): „Ita exsul te *Φρίδιον* illum melanpoda vidisse, sed abeat. Nam tibi iuro, me Apolline, quod facile credis Terram terra sapit, caelum caelestia, lignum Fructus, radicem surculus, unda locum.

Quid mihi et ei? Ille subterraneos cuniculos, ego colles et silvas incolo; ille aurum et colit gemmas, ego, quod nec auro nec gemmis comparari queat.“ Contra eundem, qui primarios medicos „archiatros“ appellandos esse negabat, Ulsenius epigramma condidit:

Quisquis Aristotelem reboas semperque Platonem . . . (ib. p. 194).

⁵⁾ 27. Febr. 1493. In ea epistula nonnullius momenti sunt verba (Rupprich l. c. n. 61 p. 101 sq.): Nescio quid praesente Petro [Bonomo, cancellariae secretarii] confabulamur etiam alius doctis praesentibus. Ipse saepius magnam linguae et Latinitatis impraeptitudinem deridebat. - Ego: Quodsi omne tempus vitae in studio meae Latinitatis ac tu trivissem, forsitan se verba ultro offerrent. Non sic homini, qui in militia vixit, sicut tibi est: tu semper in litteris, ego ut plurimum in tumultu et in armis. - Statim ille: Ego bene credo, quod fuisti inermis et adhuc es. - Tacui, volens satisfacere dicacitati hominis. Tamen:

Facundum merito miror sine fine Iacobum

Deliras nimium, cum tibi, Friso, places.

⁶⁾ Conf. K. Groszmann, Jahrb. f. Landeskunde v. Niederösterreich NF. XXII 1929, p. 285, annot. 3. ⁷⁾ Conf. editiones 5. et 6. ⁸⁾ Conf. codicem 3. - Epistulam Celtis a Rupprichio editam n. 49 (p. 79) non 5. Dec. 1492, sed multo posterius scriptam esse iam inde apparet, quod tunc Canter nondum se poetam laureatum nominare potuisset.

⁹⁾ Conf. codicem 4.

¹⁰⁾ Conf. inferius de tribus equitibus pictis fol. 16v codicis 4.

¹¹⁾ Conf. B. Ryba, Filip Beroaldus a cesti humanistě, C. Budejovice (Bohemia) 1934, p. 7 sq. ubi epistulae Beroaldi Bononiensis ad utrumque fratrem annis 1488–95 datae typis excusae sunt.

¹²⁾ Conf. J. Truhlár, Humanismus a humanistě v Čechách za krále Vladislava II., Praha 1894, p. 73; B. Rýnesová, Kdy vznikla fikce o italském puvodu Vítkovcu, in opere: Sborník prof. G. Friedrichovi, Praha 1931, p. 369 sq. Eundem Venceslaum Rovensem, qui sine dubio Crumlovía saepius Viennam equitavit atque facillime epistulas Crumlovía ad Canterem Coronam Auream mittere potuit, in duabus epistulis Iacobi ad Celtem datis commemoratum esse censeo (n. 49 p. 80, 24 et n. 197 p. 328, 7, 9).

iciendum est poetam in consilio domus celebrandae a Venceslao esse adiutum.

Canter laudes nobilium Rosensium fabulae lascivae de virgine osculata inseruit. Quae cum ita sint, carmen Canteris celeberrimum, cui „Osculum“ inscripsisset, nec periisse nec latere, ut nonnulli credunt, sed in Rosa Rosensi ad nostram aetatem pervenisse conicio¹⁾.

Itaque laudes lepidissimae, quas Hermannus Buschius (In Osculum Iacobi Canteris poetae laureati)²⁾

Incinuit modulo facili versuque rotundo
Osculum Acidaliae blandius ore rosae;

— — — — —
Haec perfecta tibi totam de pectore nubem
Absterget lepidis fabula plena iocis,

vel Bohuslaus Hassensteinius (Ad Iacobum Canther Frisium)³⁾

— — — tibi Musca Luciani,
Mures Maeonidae, Culex Maronis
Concedunt, Siculus tibi poeta,
Cui Battus Corydonque grande certant,
Thyrsis provocat aepolumque cantu,
Dat palmam gelidusque iam superbit
Rhenus nec metuit Melatis undam,
Ipsam denique Mincium lacessit.
At tu perge, precor, novos libellos,
Canter, condere, quos legant nepotes . . .
cecinerunt, quorsum pertineant, adhuc perspicere potest.

Contra adhuc latet aut deperditum est carmen, quo Canter a. 1498 Conradi Celtis ingenium laudavit eique corrigendum misit una petens, ut sodalitati Danubianae ascriberetur.⁴⁾

Altera Petrarcae editio Daventri a. 1498 sine ulla dubitatione Cantere absente (forsitan et inscio) in lucem edita est⁵⁾.

A. 1501, cum in diæta imperiali Georgius Sibus Daripinus lauro Apollinea coronaretur, Cantherem Coloniae fuisse⁶⁾, inter 1505—1508 Emdae (Emden, in regione Hannoverana) vicarium perpetuum S. Crucis factum, ibidem usque ad a. 1528 fuisse, tum Groningam revertisse et ante 21. Sept. 1539 mortuum esse constat. Eius mores vitamque Ubbo Emmius (1547—1629) acerbissime depinxit: „Homo notae impietatis atque omnis religionis derisor, evangelium de Christo, vitam alteram, corporum resurrectionem in anilibus fabulis habens, eorum, qui secus crederent stultitiam scommatis insectans, denique etiam nunc eruditum litterarum quam bonorum ac honestorum morum fama apud posteros notior.“⁷⁾

¹⁾ Fieri potuisse non negarim, ut Canter iam prius „Osculum“ scriberet et seorsim ederet, postea autem laude Rosensium auctum in „Rosa“ repeteret. Rupprich l. c. p. 79, annot. I nescio quibus indicis fultus „Osculum“ iam ante a. 1495 ortum esse dicit. Quod si ita esset, collato Buschii carmine (v. inferius) Cantherem „Osculum“ primum anno 1494, quo coronatus esset, composuisse iudicandum esset. ²⁾ Epigrammatum liber tercius, Lipsiae 1504, fol. Hiii.

³⁾ Farrago poematum, ed. Th. Mitis, Pragae 1563, p. 140 sq. Lectiones Mitianas Aepolum (pro aepolum) et nuncium (pro Mincium) correxi. — Cum Bohuslaus Cantherem litterarum commercio coniunctum esse appareat etiam e carmine, in quo Bohuslaus cum Musis Rhenanis (i. e. Cantherianis) colloquitur (Farrago p. 152 sq.), et e duobus epitaphiis, quae Bohuslaus forsitan similibus litteris, quas Canter ad Celtem dedit (Rupprich l. c. n. 182 p. 309), provocatus — in honorem patris eius Ioannis composuit (Farrago p. 98 sq. et Appendix p. 304).

⁴⁾ Conf. Rupprich l. c. n. 197 p. 328 et n. 204 p. 339. Ad hoc carmen referendam esse puto notam marginalem, quam Celtis primae strophae carminis Ioannis Capnionis (Reuchlin) et Gracci Pierii (Krachenberger) adscripsit (Celtis, Quatuor libri Amorum, ed. F. Pindter, in hac Bibliotheca 1934, p. 107, 116 et Rupprich l. c. p. 509): Arripiunt (non: Accipiunt) carmen . . . Iacobi Canter. Quae si ita sunt, carmen Capnionis et Gracci annis 1492/93 oriri non potuit.

⁵⁾ Conf. editionem 7.

⁶⁾ Conf. editionem 8.

⁷⁾ Conf. P. C. Molhuysen—P. J. Blok, Nieuw Nederlandsch biografisch woordenboek Lugduni Batavorum 1911, l. p. 559; F. Ritter, Jahrbuch der Gesellschaft f. Altertümer zu Em., den XVIII. (1913), p. 125 sq.; H. Keussen op. cit. (1919) p. 212; H. Rupprich op. cit. (1934), p. 79.

II. — De codicibus et editionibus operum Iacobi Canteris.

Rosa Rosensis unicum codicem (4.) habet; usque ad hoc tempus non edita est.

a) Codices :

1. Cod. Lat. Bibl. Publ. Bavarae Monacensis n. 4408 s. XV. exeuntis¹⁾ (olim bibliothecae monasterii S. Ulrici Augustae Vindelicum). Continet f. 49 Iacobi Canter Frisii carmen sapphicum de Beata Maria Virgine, f. 50. aliud in eandem, f. 53 Rosarium de Beata Maria Virgine (pros.), f. 54 Rosarium ex floribus vitae passionisque Iesu Christi.

2. Cod. Lat. Bibl. Publ. Bavarae Monacensis n. 4417 d s. XV. exeuntis²⁾ (olim bibliothecae monasterii S. Ulrici Augustae Vindelicum). Continet f. 1—34 Iacobi Canter Frisigenae oratoris clarissimi De solitudine dialogum.

3. Cod. Lat. Bibl. Nation. Vindobonensis 3448 s. XV/XVI. Continet f. 16r—16v, 18r—18v, 83v—84r, 87v Iacobi Canter, doctoris artium, poetae laureati, ad Conradum Celtem epistulas. Quae omnes typis excusae sunt: Der Briefwechsel des Konrad Celtis, ed. H. Rupprich, München 1934, n. 49, 182, 197, 204 (p. 79, 309, 328, 339).

4. Cod. Lat. Bibl. Nation. et Univ. Pragensis n. VI F 2 s. XV. exeuntis³⁾ (olim bibliothecae Rosenbergiae Crumloviensis). Iacobi Canteris Phrysii Rosam Rosensem continet. Codex chartaceus (14×21 cm) 36 folia continuerat (tres quaterniones et duos terniones), e quibus foll. vacua 1. et 34. excisa sunt. Foll. 2. et 32—36. vacua sunt. Titulus praefationis et praefatio ipsa in foll. 3r—6r, argumentum et personae fol. 6v, carmen ipsum fol. 7r—32r exarata sunt. Textus Canteris integer ad nos pervenit excepto fol. 3., in cuius margine superiore zona 54mm. cultello abscisa est. Itaque cum praefationis titulus fol. 3r mutilatus est, tum fol. 3v textus praefationis quattuor lineae fere 150 litteras complexentes perierunt. Codex nitidissime exaratus septem imaginibus parum accurate pictis ornatus est. Fol. 12v⁴⁾: Ad equitem (inscr.: ANCHISES), purpurea veste et calceis nigris ornatum, sub viridi frutice sedentem dea (inscr.: VENVS) praeter calceos rubros et flammeum flavum nuda venit eique florem album e frutice averso decerptum porrigit; fol. 13r⁵⁾: Equis citatis vehuntur duo equites (inscr.: ANCHISES, AENAEAS) armati cassidibus cristatis muniti, in dextris hastilia, in sinistris scuta rubra cum rosa alba tenentes; fol. 15r⁶⁾: a) in zona superiore: Duabus turmis equitum armatorum concurrentibus intercedit dea nuda (inscr.: VENVS). Turma dextra scutis rubris cum rosa alba armata est (inscr. ad primum equitem: AENEAS); sinistra ex parte primus eques (inscr.: DIOMEDES) deae manum dextram vulneravit; b) in zona inferiore: Dea vulnerata sub arbore sedens a tribus virginibus nudis (inscr.: GRATIAE) fovetur, quarum una dextrae vulneratae florem sanguine rubescentem applicat, alterae duae flores e frutice decerpunt, quorum superiores adhuc albi, inferiores iam rubri sunt; fol. 16v⁷⁾: a) in zona superiore: Eques (inscr.: AENAEAS HEROS TROIANVS) scuto albo cum rosa rubra armatus equo vehitur; b) in zona media: Duo equites (inscr.: VRSINI PRINCIPES ROMANI) eodem modo armati; c) in zona inferiore: Tres equites (inscr.: ROSENSES PROCERES BOHEMI) eodem modo armati.

¹⁾ Catalogus cod. Lat. Bibl. Reg. Monacensis, ed. II., tomi I. pars II, Monachii 1894, p. 190.

²⁾ Ibidem p. 192.

³⁾ Catalogus cod. Lat. Bibl. Univ. Prag. auct. J. Truhlár, I., Praeae 1905, p. 459, n. 1139.

⁴⁾ Post v. 201.

⁵⁾ Post v. 212.

⁶⁾ Post v. 265.

⁷⁾ Post v. 301.

b) Editiones :

1. Opusculum vite et passionis Cristi eiusque genetricis Marie ex revelationibus beate Birgitte compilatum. Antwerpie (Gherardus Leonis) 1489 Mart. 3.¹⁾ Ibidem fol. r 1 b : Epistola exhortatoria ad meditationem passionis Cristi. Iacobus Canter Frisius Ghebbe virgini docte, sanctimoniali deo devote in claro Frisie monasterio Jesse, sorori sue.

2. Petrarcae De secreto conflictu curarum suarum. In Mercuriali opido (sic) Antwerpiensi (Gherardus Leonis) 1489 Mart. 14.²⁾ In praefatione Iacobi Canteris laudes Petrarcae.

3. Probe coniugis Adelphi Cento Virgillii vetus et novum continens testamentum. Antwerpiae (Gherardus Leonis) 1489 Sept. 12.³⁾ Ibidem Iacobi Canteris praefatio ad Ursulam et Ghebbam sorores 30. Iul.

4. Guidonis Bonati de Forlivio Decem tractatus astronomiae, Augustae (Erh. Ratdolt) 7. Kal. Apr. 1491.⁴⁾ Praecedunt epistula (fol. 1v) : Iacobus Canter Frisius Ioanni Miller sideralis scientiae studioso s. p. Augustae quinto Kal. Iunias.

5. Iacobi Canteris Frisii artium liberalium doctoris et poetae laureati ad Germaniam versiculi. In opere Podalirii Germani cum Catone Certomio de fure Germanico diebus genialibus carnisprivii Dialogus editus per Theodoricum Gresemundum [Maguntiae 1495].⁵⁾

6. Axiochus Platonis de contemnenda morte Rodolpho Agricola interprete. Maguntiae (P. Friedberg) s. a.⁶⁾ Ibidem : praefatio Iacobi Canteris 8. Iun. [verisimillime 1496, certe post Hermannii Rinck mortem 26. Mart. 1496] Maguntiae data.

7. Petrarcae De secreto conflictu curarum suarum. In Mercuriali opido (sic) Daventriensi (Iacobus Breda) 1498.⁷⁾ (Editio altera.)

8. Viginti versus hexametri olim in Sacello beatae Mariae virginis in Ierusalem Coloniae in tabula a. 1500 exarati, nisi eorum sit potius auctor Andreas Canter.⁸⁾

9. De divi Maximiliani Caesaris adventu in Coloniam . . . Georgii Si-buti Daripini Poete Laureati Panegyris. Coloniae (Quentel) 1505.⁹⁾

¹⁾ M. F. A. G. Campbell, Annales de la typographie néerlandaise au XV siècle, La Haye 1874, n. 380; Gesamtkatalog d. Wiegendrucke n. 4396.

²⁾ Campbell op. cit., n. 1388. ³⁾ Ibid., n. 737. ⁴⁾ GKW n. 4643. ⁵⁾ G. Bauch op. cit. p. 38. ⁶⁾ Allen op. cit. p. 126. ⁷⁾ Campbell op. cit., n. 1389.

⁸⁾ Inscriptionem L. Ennen, Geschichte der Stadt Köln III., Colouiae 1869, p. 336 sq. ex Aegidii Gelenii Coloniensis (1595—1656) farraginum t. X. fol. 16 typis expressit. A Iacobo conditos esse e registro mens. Oct. 1500 apparet. „Item vur dat epithoma (epigramma?) as doctor Iacobus Canter van Groningen in loff der cappelen Iherusalem daselvest hangende zo latyn gemacht, da wan datselve up dat bref zo machen gekost hayt 1 mark.“ Sed Ennen l. c. IV. p. 76 tacite concedit in registro Iacobum cum Andrea commutatum esse. ⁹⁾ Bauch op. cit. p. 39.

IACOBUS CANTER FRISIUS
ROSA ROSENSIS.

PRAEFATIO.

AD ROSENSER PROCERES.

Nihil fere est omnium, domini illustres, quod vel natura vel homini casus affert sic undique malum, ut non aliquid boni committetur ipsum aut saltem consequatur. Scilicet primum omnium paupertas et adversa validudo praecipua ab omnibus ferme mortalibus mala existimantur. At vero paupertatem comitatur securitas. Unde Aquinas ille satirographus ait :

Cantabit vacuus coram latrone viator.

. 4
.
.
dum aegrotant. Nempe tunc deorum potentiam et suam agnoscunt imbecillitatem. Cui sententiae divus quoque apostolus Paulus de se ipso loquens subscribit, quum ait : Dum infirmor, firmior sum. Denique mortem vivi omnes, ut qua nihil sit peius, horrescimus. Attamen si recte expendimus, multum invenire in ea possumus boni. Quod cum permulti philosophi, tum vero maxime Hegesias ille, quem Cicero in prima Tusculanarum memorat, ostendit. Quid dicam igitur de fame, peste, ruinis, stragibus, incendiis, terrae motibus, cataclysmis, quando mortem ipsam doctissimi gravissimique philosophi in malis haud collocari debere censuerunt ? Et est hoc sane seu dei providentia seu naturae clementia pulcherrime comparatum. Nempe hinc in adversis quibusque rebus, nisi ipsimet nobis defuerimus, paratam semper habemus consolationem : videlicet, si ad bonum, quod malo praesenti aut adest aut ipsum consequitur, interioris hominis lumina convertamus. Sic nempe in Phaedone Platonis Socrates compedibus solutus, quum pruriens sibi crus leviter perfricaret, deum ait voluptatem et dolorem longissimo ab invicem intervallo, quum omnia creavit, voluisse seiungere, ubique id semel atque iterum frustra tentaverat, iratum confudisse utraque et inseparabiliter miscuisse. Atque hinc esse, quod dolor a voluptate et a dolore rursum voluptas excipitur. Scilicet id est, quod Venusinus voluit dicere poeta, quum ait :

nihil est ab omni
Parte beatum.

Quod equidem sic utcunque convertero : nihil est ab omni parte molestum. Hinc itaque, ut praefatus sum, omnes fortunae iniurias vincimus et dolores facile, quicunque eveniunt, lenimus. Huiusmodi nempe remediis scatet Seneca et ex neotericis plenus est Franciscus ille cognomento Petrarcha. Enimvero quid homines hos memoro, qui fuere mortales, — mortui enim sunt, — quum heroes diique etiam ipsi immortales hoc consolationis genere saepenumero usi fuisse tradantur? Sic nempe apud Maronem Aeneas ad socios :

Forsan

inquit

et haec olim meminisse iuvabit.

Sic apud Nasonem Iuppiter diis plerisque aegre ferentibus, quod diluvio genus omne mortalium vellet perdere, meliores spondet futuros homines novos gentemque

priori

Dissimilem populo promittit origine mira.

Sed nunc haec tandem, quo volebam, praefatio pervenit. Fuit sane miserabile atque calamitosum Asiae Troianum excidium, at Europae idem perutile atque optabile fuit. Non dico Graeciae, quae et ipsa Europae est bona pars, quin Latio, inquam, quod ex Troiae incendio atque ruinis maximam, quaecunque in ipso est aut fuit unquam, claritudinem hausit indeque desumptam in exteris ac barbaras usque nationes propagavit. Et ob hoc sane ipsum tolerabilior visa est Veneri desolatio Troiae, quod Iliacam nobilitatem ampliorem fore hac occasione sperabat. Ergo ipsa ad Iovem parentem

Certe hinc Romanos olim volventibus annis

Pollicitus

et post pauca

Hoc equidem

ait

occasum Troiae tristisque ruinas

Solabar fatis contraria fata rependens.

Et profecto quidem hinc, si Maroni, Ovidio, Livio, Sallustio aliisque clarissimis vatibus et historicis credimus, Romana pleraque omnis nobilitas defluxit. Quae varie quidem exinde originis suae memoriam servavit. Nam pars nomina imitata est Troiana, ut Sergiorum Clodiorumque familiae, quas ab Sergesto et Cloantho Troianis nemo deductas ambigit, ut Iuppiter quoque apud Maronem cum Venere colloquens atque arcana eidem pandens fata

Iulius

inquit

a magno demissum nomen Iulo.

Pars vero aliis nec obscurioribus tamen indiciis Troianum etiam ²⁷
nunc sanguinem testatur.

Quod in vestra quidem, illustres domini, Rosensi familia luce ²⁸
clarius apparet, quae ab Ursinis Romanorum nobilissimis proce-
ribus orta ab Illo atque ab Venere ipsa, si altissime repetamus,
haud dubie originem capit. Nam, ut alia omnia omittam, eviden- ²⁹
tissime hoc liquet ex pulcherrimo armorum vestrorum insigni,
quod absque omni controversia Veneris proprium ac peculiare
censetur. Ut enim Phoebus laurus, olea Palladi, Herculi populus ³⁰
aliaeque aut arbores aut herbae aliis sunt numinibus sacrae, sic
almae Veneri ex arboribus myrtus atque ex floribus est rosa di-
cata. Quae primum quidem candida tantum unde orta sit et qua ³¹
ratione postea rubuerit, quo pacto item ad genus vestrum per-
venerit, quoniam in opusculo sequenti Charilaus noster omnia
explanabit, nunc equidem consulto praetereo obsecrans, ut ea ma-
gnitudines vestrae ex ipso poemate recognoscere potius dignentur.

Offendetis obiter et alia quaedam lectu, ni fallor, haud inui- ³²
cunda. Quod si qua etiam licentius dicta videbuntur, facilitati meae ³³
pro ingenii vestri amoenitate, precor, ignoscite et, si rei dignita-
tem verbis minus aequavi, attamen obsecro hanc lucubrationem
ob ingentem animi quidem mei erga vos observantiam benigna
velitis fronte suscipere et me poetam vestrum qualemcunque vobis
nihilominus pro mansuetudine vestra commendatum habere, qui
nihil libentius, nihil iucundius, nihil denique studiosius, quam
quod rosam praecipuum veris atque Veneris decus celebret, scribo
Valete, ut qui optime. Ex coenobio Coronae IIII. Nonas Maii. ³⁴

ARGUMENTUM.

Eutychus adolescens Calliroën Charilai regis filiam e campo ¹
redeuntem, quam unice deperibat, osculatur. A regiis inde satel- ²
litibus capitur et, quanquam regina sumi de eo supplicium ve lle
astu tamen et clementia puellae, favente etiam rege, liberatur.

PERSONAE.

CHARILAUS	rex
NICOSTRATA	regina
CALLIROE	regis gnata
CLYMENE	anus nutrix
EUTYCHUS	amator Calliroës
EURYBATES	} satellites regii
PHOENIX	
TALTHYBIUS	

ROSA ROSENSIS.

CALLIROE

Mater, ut in campum mihi sit fas, oro, parumper
 Ire et post hiemis requiem longam exspatiari,
 Mitior a Zephyro quum iam venit aura colores
 Floribus aspirans varios quumque ipsa virescit
 Omniparens glacie tellus nivibusque solutis.

NICOSTRATA

Si tibi cara magis sum floribus, annuus affert
 Quos Zephyrus, quum vere novo flat, nata, penes me
 Hic potius maneat nec solam, quaeso, relinque!

CALLIROE

Floribus et melius quodcunque iis gignere terra
 10 Alma potest, genitrix, mihi longe es carior. At nunc
 Haud equidem hinc abiens te solam, parce, relinquo.
 Nam meus, en, tecum genitor manet isque facetus
 Colloquiis te hinc more suo oblectabit amoenis.

CHARILAUS

Recte ait. Abscedat sed nunc, sine! Ludere gestit
 15 Haec aetas. Studium et tibi, coniunx, hoc fuit olim.

NICOSTRATA

Vade igitur! Gressus dominae, tu, sedula verum
 Subsequere et nusquam, Clymene, discedito ab ipsa!

CLYMENE

Sollicita non sic vestigia mente ferarum
 Venator sequitur, regina, atque hanc ego servo.

NICOSTRATA

20 Ite, agite et varias reduces mihi ferte coronas!

CALLIROE

Id fiet, genitrix, nisi nos sententia fallat.

NICOSTRATA

Mirum, virginibus qui tanta est cura tenellis
 Et studium florum, ceu, quae de frondibus Hyblae
 Mella legunt, apibus, Cecropis vel florea rura
 25 Pervolitant! Genus ex ipsis an forte putandum est
 Virgineum? Studia iis nam sunt communia certe.
 Ut quando Oenopiam formicae dira peremit
 Pestis mutatae sumpsisse humana feruntur
 Rege Asopiade cum membris ora, priores
 Nec tamen iccirco mores cum vultibus agmen
 Frugilegum pariter mutavit, quin, velut ante,
 Myrmidoni est studium populo Cereris: tenet ex re

Qui nomen, nam curat agros memor inque futurum
 Haud longa torpere sinit sua membra quiete,
 Quin victu modico contentus plura paratque et
 Parta tenet semperque refert suae originis instar.
 An contra est, ut apes sint ex virginibus? Inde et
 Forte eius memores quod consuevere, puellae
 Dum fuerant, quòque nunc incumbere floribus ardent.
 Haud aliter, quam quae fertur mutasse figuram,
 Armiferae quod se ausa fuit praeferre Minervae,
 Idmonis: e summa suspensa ut aranea facta est
 Nam trabe, primaevum ad mox est conversa laborem.
 Quodque est inde genus deductum, nunc quoque texit,
 45 Virginis assidue studiumque imitatur Arachnes.
 Sed cedo, quae tua nam super iis sententia, coniunx,
 Utrum horum alterius videatur origo fuisse?

CHARILAUS

Virgineum haud genus ex apibus nec apes puto natas
 Virginibus, quanquam multa iis communia certe
 Sint, coniunx, et plura etiam, quam tu memoraris.
 Praeter enim id, quod amant flores et florea rura,
 Dulcificum est utrumque genus, nam mella parant hae,
 Illae dulci animos tingunt et corpora amantum
 Ambrosiam vincit quod et Attica nectare mella.
 Quin etiam simili mel corporis in regione
 Haeque illaeque gerunt —

NICOSTRATA

Ergo dicturus, rex, quicquid, semper ineptus
 More tuo es. Nostra hic equidem quod filia non est,
 Gaudeo, quod quae de melle haec tam dicis inepta,
 Non audit, verbis ne parva his inficiatur,
 Gustare ut cupiat mel, quod super Attica laudas.

CHARILAUS

Ne dubita, natura monet: non audiat, ipsa
 Ex sese, quanquam haec, sensim tamen omnia discet,
 Nanque rei in venis doctor penitisque medullis
 65 Est huius: crescit corpus crescitque voluptas,
 Augescit pariter cumque annis saeva libido.
 Quin etiam ante diem multae stimulantur amore,
 Praecipue, quibus est fortuna opulentior. Ipsa
 Praecox nempe venit domibus plerunque superbis
 70 Alma Venus. Tunicas prima ut vix stringere pubes
 Incipit, actutum pruritus in inguina serpit
 Exstimulatque ardens tentigo viscera, saepe et
 Quaeritur hinc ratio, qua sedari queat ardor.
 Scilicet hoc miscent effrena licentia virus
 75 Deliciaeque animis molles in mollia pronis.

Quodsi qua est, pulchrae Veneris quae ad munera venit
 Serius, haec tanquam neglecti temporis ipsam
 Poeniteat! Numero sapiens sua damna rependit,
 Curat et, amissum ut tempus sibi copia reddat.

NICOSTRATA

- 80 Si nostro tandem generi convicia abunde
 Dixisti, fac expedias, quod te ante rogavi.
 Atque equidem, nisi nunc id malletm audire, vicissim
 Ingenium et mores possem vestros memorare.

CHARILAUS

- Expediam prius hoc; naturam deinde virorum
 85 Te narrante erit haud mihi parva audire voluptas.
 Occulta est ratio id praemonstrans quodque futurum,
 Virginibus teneris ut carpere mos sit ab annis
 Flores: mutati quia sunt miserantibus ipsis
 Divis in flores iuvenes, pulcherrima quondam
 90 Corpora. Qui partim, vivis id quod fuit ante,
 Nomen herile tenent etiam nunc; tempore partim
 Amisere, vides aetate ut multa aboleri.
 Sic Crocus a flava dilectus Smilace flori
 Imposuit nomen, quod flos is nunc quoque servat.
 Sic dedit et nomen flori moriens Hyacinthus,
 Intonso carus quondam super omnia Phoebo;
 Cuius inest foliis etiam nunc littera, luctus
 Testis Apollinei, pueri de nomine sumpta.
 Versus et in florem post hunc perhibetur eundem,
 100 Aeacidæ pro armis qui praestantissimus heros
 ludicio certans a docto est victus Ulixæ.
 Ille etiam, fuerat Veneris qui maxima cura,
 Quem monuit Cytherea feras vitare feroces,
 In florem est versus quondam iuvenis Cinyreius.
 105 Quid? Se nosse fuit iuvenis cui maxima pestis?
 Nempe sui infelix periit dum ipsius amore.
 In liquido postquam conspexit fonte seipsum,
 Purpureum in florem fato mutatus eodem est.
 Sicque alii, quorum memorare est nomina longum,
 110 Ornare novis heroës floribus olim
 Multi prætata, vides tepido quos vere colorem
 Quenque referre suum, quando hos in luminis auras
 Aureus educit Sol, quæ sunt, cuncta gubernans.
 Hinc, adeo hinc amor est, coniunx, studiumque puellis
 115 Florum. Rebus enim in parvis natura latenter
 Praeludit, vitæ et praemonstrat signa futurae.
 Sic, qui Vulcani maior contendit ad artes,
 Parvus adhuc folles et cum fornacibus ignes
 Tractat, malleolos durisque incudibus aptat
 120 Et, si non aliud, tinnitu gaudet inani.

- Sic etiam accendit quem saevi gloria Martis,
 Cum pueris puer exorditur proelia, laetus
 Atque interposita vectatur arundine parvis
 Cruribus, insideat Centauri ut terga biformis.
 125 Nec minus, ad Paphiae luxum quae deliciasque
 Crescunt: iam teneris vitae argumenta sub annis
 Edunt, quum flores decerpunt, posterioris.
 Contrectare etenim delectat, carpere et id, quod
 E pulchris iuvenum membris mutasse figuram
 130 Constat, rerum ignara etsi hoc ea nesciat aetas,
 Ceu quondam pupas fingunt imitamina parvas
 Infantum et cunis agitant crepitantibus ipsas
 Et dormire velut pueros per carmina suadent;
 Ast ubi iam sensim cum tempore mens quoque crevit,
 135 Tum certe iuvenes viventes tangere multo
 Plus iuvat et pueris operam navare creandis
 Veris: exempla ante oculos sunt tanta, necesse ut
 Arguta haud credam ratione in re manifesta.
 Quodsi forte velim per nomina pergere, luco
 Quot sunt Dodonae glandes, prius enumerarem
 Aut quot per Libycas angues labuntur arenas.
 Hos igitur flores postquam cognosse puellae
 Incipiunt, ut apes iuga per florentis Hymetti,
 Advolitant, libant, exsugunt atque susurris
 145 Dulcibus hos mulcent captantes murmure blando.
 Saepe graves luctus brevia et post gaudia miscent,
 Sicut apes stimulum capienti mella relinquunt.
 Huic censum exsuxit patrium, huic femina vires,
 Huic vitam et rebus famam cunctis meliorem.
 150 Mitius et sane flores exsugit apis: mel
 Absque malo ipsorum nanque extrahit, avolat et mox;
 At vos iuvenibus violentae haeretis, ut olim
 Non missura cutem nisi plena cruoris hirudo,
 Et supra vires nonnunquam cogitis ipsos;
 155 Quodsi et forte parum iuvenis iam sufficit unus,
 Quaeritur alter et hunc post tertius instar apum, quae
 Mille die tentant uno per rosida flores.

NICOSTRATA

Obscenis iterum sermonem cludis, ut ante,
 Verbis, immo, ut semper, cursu et pergis eodem.

CHARILAUS

- 160 Obscenum semper ne me dicas, age iam nunc
 Aurem utranque adhibe: mirabere me, scio, coniunx.
 Res nempe humanas hinc iam divina relinquo
 Dicturus. Flores equidem tibi commemoravi,
 Corporibus qui sunt versi ex mortalibus. At nunc
 165 Semine divino natus qui est, accipe florem.

Altius ordiri verum est opus. Arrige porro,
Arrige, dico, aures: tibi sic faveat Cytherea.

NICOSTRATA

Dic modo tu, quod vis! En, utraque mi patet auris.

CHARILAUS

Aurea Saturnus fluxerunt saecula sub quo
170 Ille suo testes patri exsecuisse putatur
Spes foret ut prolis geminos haud ulterioris.

NICOSTRATA

Belle hercle exorsus: sit finis nempe futurus
Principio qualis das hoc cognoscere belle.

CHARILAUS

Hinc sane ordiri modo sic me res iubet ipsa.
175 Sed sine, perveniam dum, quo volo pergere, tantum!
Falce vides statuas Saturni en undique templis
Armatas, patri quia testes falce rescidit.
Et quod Siciliae abiecta haec narratur in oras
Falx, Drepanum iccirco Trinacria nominat urbem.
180 Sanguine Saturnus membra hinc manantia Caeli
In mare proiecit. Spumis cruor inde marinis
Mixtus, Alexandro quae natam iudice vicit
Et Iovis uxorem, genuit Cythereida, lato
Qua non est quicquam mundo formosius usquam.
185 Ergo quod est spumis Venus edita, nomen ab ipsa
Re divae impositum est: Aphroditis nempe vocatur.
Contemplata igitur vasti faciem dea ponti,
Quum procul excelsas urbes et culta videt, mox
Terras alma petit et concha vecta marina
190 Neptuno pariter Zephyro pariterque iuvante,
Haud mora, proximum erat quod, diva in litore Cypri
Constitit et, spumis ut erat nans oblita, corpus
Extersit: Paphiae sacris spumae artubus actae et
Mox sumunt florum faciem servantque colorem
Et crispae, velut ante, manent. Cypriae quoque flos nunc
Est rosa, de spumis sic edita nempe sacratis,
Candida, crispa, fragrans sancto de corpore divae.
Sic quondam, sacris si fas est impia rebus
Conferre, ex spumis, quas Cerberus ore trifauci
Edidit, Herculea superas extractus in auras
Dextra, sunt tristes, miscent quae aconita, novercae.
Diva sed ipsa suum florem hinc deliberat, omni
Ex hominum numero cuinam daret, inter et omnis
Solutus eo visus mortales dignus honore
Troius Anchises, Phrygiae radicibus Idae
Cuius in amplexus Venus est dignata venire

Mortalemque pati dea, mixtus sanguis ut inde
 Progeniem matri similem quandoque referret.
 Huic Cytherea rosam divini pignus amoris
 210 Alma dedit. Venerans acceptum protinus ille
 Munus honore colit merito festisque diebus
 Fert insigne rosas Veneris frontem iisque coronat.
 Mox etiam mensis, fierent convivia laeta
 Quo magis, instituit florem hunc adhibere: manet nunc
 215 Is quoque mos mensis, nam nunc quoque vina coronis
 Cingimus e Veneris flore. Hinc etiam addidit armis
 Et clipeo galeaque rosam gestavit. Ab illo
 Sumpsit et Aeneas armorum insigne, nepotes
 Inque suos porro hoc gestandum tradidit heros.

NICOSTRATA

Unde igitur rubra est aut cuius numinis ipsa
 Flos, quae nempe rosa multo est praestantior alba,
 Purpureo Aurorae nascentis tincta colore,
 Quaque modo Aeneadae plerique utuntur in armis?

CHARILAUS

Ipsa quoque est Veneris, multo et praestantior alba,
 Ut dicis, fateor, nam divae sanguine tincta
 Mutavit faciem servatque exinde ruborem.

NICOSTRATA

Impius esse cave, dum vis argutus haberi,
 O dulcis coniunx, nec te patientia fallat
 Divorum: gravius feriunt, quo lentius. Atqui
 230 Laedi equidem nulla vi credo numina posse.

CHARILAUS

Nescio laedantur necne, sed vulnera certe
 Accipiunt. Vulgatum est nempe ad moenia Troiae
 Martem Tydidæ pugnantem cuspide fixum
 Exclamasse; hominum quantum bis milia quinque
 235 Haud possent, Danaï tremere ut Dardaniique
 Utque Ida et Xanthus quaterentur, vulneris unde
 — Integra sed sanctis sua sit reverentia divis —
 Coniectare vales ipsum sensisse dolorem.
 Uranius vero non est modo vulnere laesus,
 240 Quin mutilus membris atque intestabilis exstat.
 Iam, qui tela Iovi fabricat, deiectus Olympo,
 Visus deformi nimium quod fronte fuisset,
 Fregit crura cadens graditurque haud passibus aequis
 Nunc etiam veterisque refert insignia lapsus.
 245 Ergo pati credis si divos vulnera posse,
 Exsequar, incepti Cythereae quod modo vulnus,
 Clara rosae ut tandem rubrae dicatur origo.

NICOSTRATA

Credo equidem exemplis persuasa iis, quae memorasti,
 Nec minus admiror, potuit tam ferreus esse
 250 Quisnam, sacratum divae ut corpus violaret.

CHARILAUS

Ah, violat quid non, coniunx, furor impius atque
 Improbilas hominum, sacri quibus estque profani
 Discrimen nullum, quum mentem insania privat
 Lumine et in tenebris raptat vertigine caeca!
 255 Martius ac veluti si humano saeva cruore
 Imbuit ora lupus, post id iam vilia ducit,
 Quae vel habent silvae vel habent quae animalia campi,
 Ardet et humani, quod visus dulcior esse,
 Sanguinis inde siti, trivia et mox compita canus
 260 Obsidet et lacerat, quisquis forte obviis exit:
 Sic ubi sacrilegas divino sanguine demens
 Polluit ipse manus, sacra et temerare deorum
 Corpora Tydides semel est quae non licet ausus
 Tangere mortali, contentus non fuit una
 265 Impietate furens, cumulat sceleri scelus immo.
 Forte etenim inciderat pugnans in magnanimum, quo
 Nec pietate fuit nec quisquam illustrior armis,
 Aenean. Totis librans et viribus hastam
 Letiferum contra venienti infligere vulnus
 Certum habet. Extremo nati verum ipsa periculo
 Aduit alma Venus, campo et testata patenti est
 Se matrem Aeneae. Crudo nanque obvia telo
 Obstitit, ut propriae nimium et fidens deitati,
 Opposuit dextram, ferro ne qui foret auctor
 275 Ante diem caderet Romanae nobilitatis
 Hostili, unde ducum clarorum copia tanta,
 Caesarum et, aequa deis olim foret unde propago.
 Ortos hinc Fabios, hinc tradunt nempe Camillos
 Et Curios, Decios, Serranos Fabriciosque et
 280 Scipiadas geminos creperi duo fulmina belli
 Ursinosque domi praeclaros militiaeque,
 Semper et ardentis patriae communis amore,
 Quorum etiam extremum virtus penetravit in orbem
 Dardaniumque genus deduxit stemmate certo,
 285 Flore notans Veneris clipeos galeasque rubenti.
 Ergo ut servaret sobolis Cytherea parentem
 Tam clarae, ipsa suum caput obiectare periculo
 Haud dubitans indigna tulit tantae pietatis
 Praemia. Debuerat nam quo periisse sub ictu
 290 Gnatus, mater eo confixa est. Floribus at mox,
 Quae semper Venerem Charites comitantur euntem,
 Certatim niveis manantia vulnera complent,

Ne sacer in terras stillaret sanguis, ab illo et
 Tempore purpureum traxit rosa nempe colorem
 Tincta deae sacro candensque imbuta cruore.
 Et servat, quaecunque genus deducit ab illis,
 Vulnera nunc etiam, fovit quibus alma Dione.
 Sic morus, quondam niveos quae habuisse putatur
 Foetus, sanguinea ex aspergine fert modo poma
 Sanguinis humani, quum Thisben Pyramus atro
 Dente ferae periisse putans sua pectora fixit.
 Transtulit hinc Troius monimentum ingens pietatis
 In clipeum Aeneas, rosa candida cui fuit ante
 Insigne armorum, clipei quum tota rubebat
 Planicies (color hic nam creditus olim
 Conveniens Marti: tunicas sic nempe Lycurgus
 Arma super docuit Spartanos ferre rubentes,
 Conspicius foret ut sanguis minus). Ergo colorem
 Dat niveum clipeo, quo flos prius ipse nitebat,
 310 Clarius ut nuper de sanguine facta parentis
 Purpurea impingi posset rosa sicque prioris
 Non etiam fieret floris tamen immemor unquam.
 Nanque tenet clipeus, quo flos fuit ante, colorem
 Candidus inque pii testis rosa vulneris ipso est
 315 Purpurea. Hinc adeo pervenit adusque nepotes,
 Sanguine ab Aeneae quibus est deducta propago.
 Insigni pugnans ut quo fortissimus heros
 Est usus; memores quoque nunc utantur eodem!
 Sic nempe Ursini Romae, sic ii, quibus inde
 Est genus, a Roseo nomen Germania monte
 Dat quibus. Hercyniae et dominos quos pars bona silvae
 Agnoscit, veneratur, amat virtute regentes
 Prisca subiectos, pietate et semper avita
 Insignes, genus ut Troianum agnoscere possis.
 Nunccine sed tandem, coniunx, divina utriusque
 Quae sit origo, tenes an nondum forte, rosa?

NICOSTRATA

Plane equidem teneo, quae de flore Cythereae
 Dixisti, credoque haud esse ea cognita vulgo.
 Sed quod, Iuno, malum hoc? Proh, filia currit anhelans
 Et sequitur potis est nutrix quo concita passu.
 Nec flores nec sarta ferunt. Hoc, optime coniunx,
 Quid sibi velle putas? Dic, quae sententia menti est!

CHARILAUS

Id, quod dixisti, reor: ut, quia sarta nec ullos
 Inveniunt flores, properi haec sit causa recursus.

NICOSTRATA

Sed lacrimant ambae. Heu, vereor peiora, marite,
 Ne qua sit tenerae vis forte illata puellae.

CHARILAUS

Quis tam mentis inops, ut nostram laedere gnatam
 Ausit, ni cupiat male sanus perdere vitam?
 Sed quid frustra angis te, coniunx? Quippe roganti
 340 Ipsa tibi, siquid passa est, modo filia dicet.

NICOSTRATA

Dic mihi, prima tuae et genitricis maxima cura,
 Indignis quurnam tibi fletibus ora rigantur?
 Quur non laeta redis ad me, mea filia? Quur non
 Serta caput cingunt, gremio et quur non tibi flores?

CALLIROE

345 Serta iacent capiti nostro decussa sinuque
 Dispersi flores. Pudet heu: non dicere, mater,
 Plura queo; occludunt pudor et dolor ora. Iubeto
 Hanc tibi, quae vidit, seriatim cuncta referre.

NICOSTRATA

Non leve nempe malum mihi mens praesaga futuri
 350 Portendit, coniunx, in campum quum ire parabat
 Filia, sic veluti natam ad nos quum properare huc
 Vidi. Sed flores tu tantum et serta canebas.

CHARILAUS

Praesagire malum timor improbus urget amorque.
 Quin modo dicat anus, quod factum est cunque, iubeto!

NICOSTRATA

355 Dic age, sollicitis o quae sectaris alumnam
 Passibus, ipsa ut ais, vero nec detrahe quicquam,
 Sed quo quidque modo patratum est, sedula pande!

CLYMENE

Hoc primum, regina, precor, ne crimine nostro id,
 Quod factum est, credas factum! Res ipsa docebit
 360 Me non esse ream. Iunonis numina testor
 Cuncta, quibus caelo vel terris praesidet, omni
 Me vacuum culpa. Configat sic Trivia hic me
 Ante tuos, regina, pedes, si fallo, sagittis;
 Sic trahat in praeceps me Cerberus et modo sic me
 365 Tisiphone raptet per canos dira capillos.

NICOSTRATA

Quin age, quod iussi, Clymene, et nunc desine plura
 Numina, quae noceant, si fallis, stulta, citare!
 En vacuum culpa te credo. Sed incipe, quid sit,
 Dicere, quod lacrimat, narrare nec audet alumna!

CLYMENE

370 Dicam equidem paucis, mora ne quid longior obsit.
 Quum rediit, regina, sinu tua filia pleno

Floribus et sertis caput alte ornaverat atque
 Iam tibi, quae dixit se afferre, ea munera gestit,
 Ecce, mali haud quicquam metuentibus obuius Alphi
 Eutychus advenit, ruit hinc et in oscula demens
 Virginis. Haec manibus conata repellere frustra
 Me vocat. Accurro. Sed quid facerem? Illico fugit
 Is nempe, ut rapta solet a stabulis lupus agna.
 Haec est summa mali. Nunc, te si nosco, quod instat,
 Haud opus esse puto reliquum, regina, monere.

NICOSTRATA

Hac maior potuit quae tandem iniuria nostrae
 Inferri natae? Nunc te, rex inclite, pignus
 Per commune precor iubeas, qui ad vincula quaerant
 Ad poenam et rapiant sceleratum. Sed properare
 385 Est opus. Ipsa quidem mora nunc, ut saepe, nocebit.
 Ille fugit: nos si dubitamus, nec capietur,
 Quin scelere exsultans, non et punitus abibit.

CHARILAUS

Ite citi, sed non sit iter, famuli, omnibus unum!
 Talthybius montes et silvas lustret opacas,
 Occupet at portum Phoenix iuxtaque fluentem
 Eurybates nigrae vestiget concava vallis!
 Quisque sibi socios capito, si viribus uti
 Forte velit: faciunt audaces saepe pericla
 Ex timidis. Captum sed nodis stringite sicque
 Nostros ante pedes huc vinctum adducite! Statis
 Nunc etiam? Quin ite citi! Nos haud manet ille.

NICOSTRATA

Me penes hic, mea gnata, sede, singultibus atque
 Parce! Dabit poenas, quas tu dare cunque iubebis.
 At mihi, dum quaerunt sceleratum, exponito, nutrix,
 400 Quo vultu aggressus vel quo sermone puellam
 Et quid tu contra vel quid responderit illa
 Inque fugam subito vis quae converterit ipsum!

CLYMENE

Quae teneo, dicam. Nam consternatio multa
 Eripuit subitusque timor mihi lumina tanquam
 405 Obduxit nebula, vocem nec misit in aures,
 Quanquam etiam nimium hoc, tamen hoc peiora paventi.
 Lento equidem passu, vultu et, regina, sereno
 Accessit secum, quae nescio, murmura volvens
 Moxque nihil veritam complectens oscula fixit.
 410 Infandum ut facinus vidi hoc, quae lenta sequebar,
 Territa, suppetias dominae latura, tremantes,
 Quam possum, accelero passus. Mox fugit at ille,

— Secum expendit enim iam, quid peccasset, ineptus —
 Exspectare timens — hoc quis credat? — vetulam vir.
 415 Usque adeo immutat mortales conscia magni
 Mens sceleris, fiant timidi ex audacibus ut mox.
 Post haec sum tali fugientem voce sequuta:
 ‘Quisquis es, impuro violasti qui decus ore
 Reginae? Quanquam silvas montisque fugaci
 420 Cursu, insane, petas cervos et vincere possis
 Et grassatores passu praecedere, poenam
 Non tamen effugies. Sceleratum, crede, sequetur
 Omni ea nempe loco. Prisca est sententia longas
 Regibus esse manus.’ Inde his solabar alumnam:
 425 ‘Conquestum divae matris properemus ad ora!
 Interea lacrimas cohibeto! Videbis inultum
 Haud fore. Persolvēt meritas tibi sanguine poenas.’
 Immemor haec inter pietatis non tamen illa,
 Quod secum iussa est flores et sarta referre,
 430 “Collige” ait “gremio qui sparsi, en, undique flores,
 Sarta leva et, Clymene, delapsa quae modo fronti,
 Ad matrem ergo, precor, vacuae non ut redeamus.”
 Ast quia funestum pedibus contendere vidi,
 Floribus obmissis et sertis ‘Protinus’ inquam
 435 ‘Praestat, alumna, tuam ad matrem properare, priusquam hic
 Longius evadat non dignus luce diurna.’
 Sed nunc monstrum hominis venit huc! Quaeso, aspice,
 In vultu pudor est aut ulla modestia frontis! [num quis
 O, bene quam vinctus, scelerata extendere possit
 Bracchia ne, astrinxit tenerae paulo ante puellae
 Colla quibus! Voluere dei, mox ut caperetur,
 Quippe etiam superis minima haud est cura pudoris.

EURYBATES

En, tibi vinctus adest, rex inclite, quem voluisti!

CHARILAUS

More tuo facis, Eurybate. Nam semper in omni
 445 Re celer esse soles et fortunatus ubique
 Ante alios. Phoenix sed quid nunc Talthybiusque
 Lenti non redeunt? aut qua regione morantur?

EURYBATES

Quaerit adhuc, credo, quem nescit uterque repertum.

CHARILAUS

Reppereris tam mox sed tu mihi qua ratione,
 450 Dic, in quove loco! Mirum, ni forte rescisti,
 Esset ubi prius, aut deus ut te duxerit illo.

EURYBATES

Descendi in vallem, maiestas quam tua iussit
 Indagare mihi. Hic tunc lassus forte sedebat
 Propter aquae rivum sub ramis arboris altae,
 455 Ardentem gelidoque sitim de fonte levabat.
 Ut procul aspexi, cervinis passibus ipsum ad
 Accurri comitesque mei nil segnius ire.
 Inde, velut iussus, scelerato vincula collo
 Inieci nodisque manus et brachia strinxi
 460 Impia, ne posset vim contra afferre scelestus.
 En, astat! Tua nunc faciat, quodcunque libebit,
 Maiestas, meritisque rependet crimina poenis.

CHARILAUS

Dic age nec quicquam celaveris, omnia quin dic!
 Qui furor iratum vel te quod numen adegit,
 465 Ut nostram fueris ausus contingere natam?

EUTYCHUS

Maximus ille furor, quo nullus maior in orbe est,
 Et gravius cunctis facere hoc me numen adegit.
 Ergo, magne, deo, precor, et, rex, parce furori!

CHARILAUS

Insontes divos rabidum culpasque furorem.
 470 Sed quur non potius tete ipsum, pessime, culpas,
 Qui ratione animos sapiens non edomuiisti?
 Quod proprium est hominis, non duci more ferarum
 Atque furore rapi, sanguis quando aestuat intus!
 Quur non tecum etiam meditatus, vane, futurum
 475 Post hoc quid foret? Ut melius tibi consuluisses!

EUTYCHUS

Et furere et sapere haud facile est in tempore eodem.
 Nec tamen omne furor mihi mentis lumen ademit.
 Praemeditatus enim sum et, si vis omnia nosse,
 Quamprimum aggrederer sacrum, rex inclite, corpus,
 480 Dicam, quae tacita mecum sim mente loquutus.

CHARILAUS

Dic age nec verbum addideris mihi perfidus ullum!

EUTYCHUS

Si verbum addidero, me perdat Iuppiter et tu,
 Cuius in arbitrio nunc est mea vitaque morsque.
 Ut procul aspexi venientem, mox trepidare
 485 In pectus mihi cor, sic ad me et protinus inquam:
 'En, optata diu et facies mihi carior ipso
 Sole venit, cuius tenebras animoque repellit
 Nubila cuncta meo, lux sidere clarior omni.
 Aggrediarne audens an gressum, ut saepe, timore

490 Suspendam pavidus, contentus lumina tantum
 Pascere? Sed quantum est oculos pavisse furenti?
 Aggrediar. Saltem nunc oscula ferre licebit
 Et fugere, ut spoliis rursum ditatus opimis.
 Incomitata venit. Non est occasio tanta
 495 Praetereunda mihi. Rapiam, si forte negabit.
 Audentes fortuna iuvat. Venus alma, faveto!
 Haec fatus numen sensi, rex, atque furorem
 Instimulare animum rectaque impellere in ipsam
 Reginam. Hinc hominum me princeps atque deorum
 500 Ferre tuae iussit qui maximus oscula natae.

CHARILAUS

Quas, scelus, ambages mihi narras? Iuppiter an te
 Ille, hominum princeps cunctorum idemque deorum est
 Ferre meae iussit qui maximus oscula natae?

EUTYCHUS

Non ego dico lovem, multo sed qui love maior
 505 Est deus: alatum pingunt pharetramque gerentem.

CHARILAUS

Mirum, etiam nugas audes mihi dicere, vane,
 In summo capitisque tui vitaeque periclo?
 Mercurius pedibus gestat talaria, sed non
 Idem etiam pharetram; pharetram gerit augur Apollo,
 510 Ulla sed in plantis non sunt talaria Phoebi.
 Nec love Mercurius nec Smintheus est love maior.
 Vah, nova quae demens confingis monstra deorum
 Sic, velut humano cervicem pictor equinam
 Qui capiti iungit, plumas variasque subinde
 515 Addit, ut ingentem similet pars ultima rhombum!

EUTYCHUS

Haud equidem nugas tibi, rex, quod res habet ipsa,
 Quin dico: facere ipse deus me hoc nempe coëgit,
 Absque deo quod non ausus tentare fuissem.

CHARILAUS

Quis, dic, iste deus vel qualis, clarius ergo
 520 Tandem et nos dubiis noli hinc suspendere verbis.

EUTYCHUS

Is, qui saepe lovem formam mutare coëgit,
 Ut fieret curvis aquila unguibus, ut nivea vel
 Albus olor penna vel cornu taurus acuto;
 Is, qui coniecit Gradivum in vincula Martem
 525 Et ferro astrinxit, quem ferrum vincere nescit;
 Is, qui pascere oves Phoebum fragilique cicuta
 Post armenta aliquot soles caniare subegit;
 Is, dico, saepe et qui te quoque vicit, amara et

Multa pati iussit, famulae et servire coëgit
 530 Imperio, dominum sanxit quodcunque potentem.
 Quippe etiam, rex magne, tui celebrantur amores,
 Haud minus ac bello quae clara exempla dedisti.

CHARILAUS

Quid nugis etiam plures struis addere nugas,
 Improbe? Quin potius matura silentia servas?
 535 Ante quidem superos culpasti, nos quoque iam nunc
 Tangis et irritas demens hominesque deosque.

NICOSTRATA

Recte ais, irritat, nam verum offendit amicos
 Qui dicit. Nihil hoc sed te sermone moveri
 Est opus: haud de te nunc primum talia nempe
 540 Audio, ad haec animus quin dudum occalluit. Ergo
 Hoc age, si quid agis: reverentia virginibus quo
 Exemplum hic fiat servetur debita, coniunx!

CHARILAUS

Cogito. Dum statuam quid de hoc, abducite paulum!
 O regina, levi est stipula sermonibus ergo
 545 Qui levior credis? Nec mores pendere nostros
 Et vitam mavis, hominum quam verba furentum?
 Si saperet, certe hic melius sibi consulisset.

NICOSTRATA

Nil moror haec, coniunx. Nam rara pudicitia ut sit
 Coniugiique fides, scio, regibus: omnia vobis
 550 Nempe licere, libent animo quaecunque, putatis.
 Scilicet exemplum capitis, credo, ab Iove, quo non
 Ullus adulteriis deus est celebratior omni
 Ex superum numero, rex est idemque deorum.
 Ah, quoties Iuno, quoties exarsit in iras,
 555 Questa fidem quoties violatam iusque iugale?
 Poenituit quoties tanto et nupsisse marito,
 Pellicibus quando compleri vidit Olympum.
 'O utinam de plebe deo cui nupta fuisset'
 Saepius optavit, 'melius mea res ageretur.'
 560 Sed tandem mores postquam non posse videt se
 Emendare Iovis, tacet et iam fert patienter.
 Coniugii ipsa fidem tamen et conservat amorem
 Diva, referre pari nec par Saturnia curat.
 Sic ego, sic aliae Iunonis vivimus instar.
 565 Heu, patimur multa et quae certe non pateremur,
 Esset si media nobis de plebe maritus.
 Splendidae at ecce foris, nunc maestae et vivimus intus.

CHARILAUS

Haud equidem scio, vos vel Iuno quid patiat.

Hoc tamen et teneo : Gradivum Iuppiter ex se
 570 Conceptum esse negat, matrem et tamen ille salutat
 Lunonem, luno et fuerit quae hic nescio passa.

NICOSTRATA

Florem, si nescis, passa est. Nam Pallada fronti
 Iuppiter excussit postquam, sine coniugis usu
 Et factus pater est idem materque Minervae
 575 Virginis armiferae, luno indignata, videns se
 Contemptam, mater fieri ipsa et qua ratione
 Absque Iovis posset contactu nec violaret
 Coniugii tamen ergo fidem, dea cogitat adque
 Oceanum pergit, factum Iovis ut quereretur
 580 Illi consiliumque ex ipso ut quaereret ardens.
 Iamque viae permensa bonam Saturnia partem,
 Chloris ubi sacro narcissos atque hyacinthos
 Nectare et irrorat violas, hic fessa resedit,
 Dulci lassatos artus et recreat umbra.
 585 Tum Chloris venerata deam : 'Quae causa' requirit
 'Tanta viae?' totam et luno rem ex ordine pandit.
 Consilium, lateat modo si res ista Tonantem, huic
 Et promittit opem Chloris. luno Styga iurat.
 Oleneis igitur florem deprompsit ab hortis
 590 lunonique dedit Chloris. Saturnia tangit
 Illo flore sinum, gravida et mox incipit esse
 Contactu floris. Martem parit inde novenis
 Mensibus exactis. Marti flos est pater ergo.

CHARILAUS

Flos credo ille equidem, qui caule est sesquipedali,
 595 Si satis excrevit, summoque in vertice belle,
 Si valet atque viget, Tyrios imitatur amictus!
 Oleneos equidem campos ignoro, sed hic flos,
 Quo tetigisse sinum lunonem censeo, quondam
 Lampsaco in urbe fuit toto celeberrimus orbe.

NICOSTRATA

Vah, nunc atque adeo nunc primum intelligo, florem
 600 Quem dicis! Merito Tydiden ante vocasti
 Sacrilegum, sed tu multo es magis impius illo,
 Qui neque reginae divorum parcis, honeste
 Nec de ipsa sentis, loqueris nec, quam venerantur
 605 Caelicolae uxorem cuncti Iovis atque sororem.
 Filia nec quod adest dicenti turpia virgo
 Expendis, tenerae corrumpuntur quibus aures.

CHARILAUS

Quid tam turpe igitur dixi, mea filia? Dic, num
 Quam flores aliud quicquam modo commemoravi?

CALLIROE

- 610 Nil, pater, audivi nisi flores commemorari
Abs te et hoc memini, quod flos Iunonius olim
Lampsaco in urbe fuit toto celeberrimus orbe.

CHARILAUS

More hominum, mea gnata, facis, nam mente fideli
Id, quod postremum dictum est, modo commeministi.

NICOSTRATA

- 615 Eia age Iunonem, superos linquamus et omnes,
Ne tibi sit rursum de diis male causa loquendi,
Atque ad rem potius redeamus, de qua agitur nunc.
Quid vero est causae, rex, quur non protinus hunc, quod
Supplicium meruit, statuis persolvere, quaeso?

CHARILAUS

- 620 Haud quia compertum est mihi, quonam supplicio sit,
Legibus ut nondum perspectis, afficiendus.

NICOSTRATA

- Legibus et iuri si vis insistere semper,
Vilis eris populo, vilis, rex, hinc quoque fies
Principibus. Leges fac ipsa potentia vincat
625 Quin potius! Fac, viva tuis lex ut videare,
Ore tuo ut quicquid procedit, lex habeatur!
Armis vique opus est ingentia regna tueri.
Haud pendas, odiat quanquam te vulgus, eundem
Dum tamen et metuat. Ferro regem magis uti
630 Quam libris opus est. Linquatur nempè supellex,
Qui questum hinc faciunt, doctis chartacea legum!

CHARILAUS

Quanam igitur censes poena, dic, afficiendum?

NICOSTRATA

Quanam alia quam morte putem, rex, afficiendum?

CHARILAUS

Non par delicto haec mihi, coniunx, poena videtur.

NICOSTRATA

- 635 Par, quod ais, non est peccato hoc poena, marite.
Nam plecti, si qua hic morte est crudelior usquam,
Vir poena dignus. Sed, mors quia maxima poena est,
Hanc, equidem ut reputo, iubeas, rex, ut patiatur!
Aut tu, si quid habes, homini mage quod sit acerbum
640 Morte, iube infligi, scelus ut par poena sequatur!

CHARILAUS

Immo equidem dignum, coniunx, haud hunc puto morte.

NICOSTRATA

Parvi igitur gnatae, rex, nostrae pendis honorem.

CHARILAUS

Non parvi sane. Dixisti sed modo quam tu
 Saeva mihi nimium sententia atroxque videtur,
 645 Osculi ut unius tantum hic causa moriatur.

NICOSTRATA

Plura ergo exspectas? An quod post oscula forte
 Consequitur? Quarta est haec certe linea amoris!

CHARILAUS

Non facere infectum, quicquid factum est, valet unquam
 Ipse, deum claro qui princeps regnat Olympo,
 650 Iuppiter et multo mortales nos minus ergo
 Efficere hoc quimus, qui vix sumus umbra deorum.
 Temporis atque rei verum pro condicione
 Consulere atque hominis, sapienti hoc convenit, uxor.
 Quae si respicias, non dignus morte videtur,
 655 Qui iuvenis magno peccavit victus amore.
 An si hominem demens occidat vel furiosus,
 Dementem iccirco vel plectas morte furem?

NICOSTRATA

Dementem haud equidem vel plectam morte furem.

CHARILAUS

Atqui mentis inops similis plane et furioso est,
 660 Quisquis amat. Veluti nodis nam vinctus ahenis,
 Ipse sui haud compos, rapitur, quocunque Cupido
 Ire iubet nec secum animo nec corpore constat.
 Non est liber item: captum quoque vulgus amore
 Nam vocat, ad nutum quia semper vivit amicae,
 665 Pressus et imperio est noctesque diesque superbo.
 Ergo, fuit quisquis primus qui dixit amantem,
 Rectius amentem sane appellasset eundem.
 Quippe caret, quem vincit amor, mente et ratione.
 Nec vero ipse sibi iam vivit, mortuus in se est
 670 Quin immo, alterius miser atque in corpore vivit,
 Illius, insano cuius cruciatur amore.
 Denique, si ulla fides rerum expertis adhibetur,
 Mellis parva subest, fellis sed maxima amor
 Pars et multum aloës modico est cum sacchare mixtum.
 675 Sunt 'amor' haec igitur cognata et nomina 'amaror',
 Ceu 'ligna' et qui ex iis aggestis pascitur 'ignis'.
 Qui furit ergo, malis et tantis excruciat,ur,
 Ut magnum aerumnis Alciden vincat amaris.
 Illius, heu, pietas, coniunx, si qua, miserendum.
 680 Nanque suo satis ipse malo super atque laborat,

Ut tortore alio torqueri opus haud habeat, qui
Ipse sibi est tortor miser, idem et carnificina.

NICOSTRATA

Si veniam dederis peccato huic facilem, rex,
Quale, vide, exemplum sceleratis fiet? Amabunt:
685 Defendent vano et peccabunt quicquid amore
Atque impune sibi hinc credent fore, suaserit ipsis
Quicquid caecus amor. Sumentque hinc praesidiumque
Hortamenque mali scelerum. Nunc denique sentis,
Rex, adaperita erit hinc peccatis quanta fenestra?

CHARILAUS

690 Haud equidem venia plane, sed nec puto morte
Dignum, uxor, iuvenis caeco qui erravit amore.
Nam quid in hos odio tandem statuemus acerbis
Quis sumus, extremo nunc si plectamus amantem
Hunc nos supplicio, bene nostris atque volentem?

NICOSTRATA

695 Immo odiat malim, quam sic nos quisquam amet, unde
Et natae et nobis precium minuatur honoris
Virgineique oris decus, unde pudor, violetur.

CHARILAUS

Si vis ergo gravi hunc, coniunx, affligere poena,
Quippe etenim vincis me tandem, morte caveto
700 Afficias: non est, quam credis, mors mala nempe.

NICOSTRATA

Atqui nil equidem peius quicquam scio morte.

CHARILAUS

Ast ego nil homini melius quicquam scio morte.
Sive etenim tristi venit haec in tempore, certe
Effugium aerumnarum est cunctorumque laborum
705 Finis, ut in portum vexatos mille procellis
Quippe homines tandem miseros quae collocat, uxor.
Tempore sive eadem laeto venit ipsa, beatos
Efficit. Is nempe est auctore Solone beatus,
Qui felix moritur, vivensque hoc nomine dignus
710 Nemo est, quod varie vita haec mutatur in horas.
Ergo etiam, quos dii magno dignantur honore,
Ocius eripiunt homines hoc carcere vitae.
Carcer enim tanquam hoc corpus purae est animae,
Aegrotum, fragile et subiectum mille periculis.
715 Hinc super Oeclide Graius canit ille poeta:
Iuppiter hunc totis animis, hunc magnus Apollo
Diligit, et iusti metas non attigit aevi.
Nam quid longa homini varios nisi vita dolores

- Et gemitus affert et luctum et funera ? Vixit
 720 Nempe diu Priamus, plura est idem et mala passus,
 Quam cecidit primis ferro qui Troilus armis
 Aeacidae. Hinc nempe est ab diis data longa Prometheo
 Vita, queat longis ut vivens excruciac
 Tormentis; cupit ille quidem miser, ut moriatur,
 725 Cogitur iratis sed nolens vivere fati,
 Finit optata ne poenam denique morte.
 Tantalo et hinc etiam Lachesis producere stamen
 Creditur, assidue cui, quo doleat magis, ante
 Ora epulae luxu structae ponuntur hiantis
 730 Regifico; dextram at si forte extendit, Erinnys,
 Quae conviva sedet iuxta, serpentibus atris
 Implicita prohibet mensas contingere virga.
 Ergo deos imitare, gravi si plectere poena
 Hunc cupis, o coniunx, dignum nec ducito morte!
 735 Nam miserum vita privare, hoc est misereri.

NICOSTRATA

- Sic sane est, verum hoc nam sentio denique. Sed nunc
 Atticus o utinam nobis foret ille Perillus,
 Ille, Agrigentino fertur tormenta tyranno
 Qui nova commentus: melius pretium ferat a me,
 740 Quam tulit a domino, taurum cui finxit ahenum.

CHARILAUS

Artifice absque ullo quid si nos inveniamus,
 Quod gravius cruciet, quam bos quondam ille, magistrum
 Qui mugire suum docuit, quum plangere vellet.

NICOSTRATA

Dic, qua, mi coniunx, ratione hoc inveniamus?

CHARILAUS

- Ab nullo gravius quam qui est iniuria passus
 745 Ipsam, pensatur, nam censor quisque doloris
 Maximus est plerunque sui. Soleat magis aequo
 Ut saevire, ulciscendi si copia forte
 Sit concessa, malum quicumque et pertulit, ipsum
 750 Idem, quam vere est, crudelius aestimat, uxor.

NICOSTRATA

Hoc etiam credo, sed quorsum nescio pergis.

CHARILAUS

- Expectare, scies, modo si potes. Ingeniosos,
 Quamlibet indoctos, in poenas et cruciatus
 Efficere ira solet mortales et dolor ingens.
 755 Nam stimulant animum haec, velut exacuuntque flagellis

Mentem. Nostrae igitur sit ius infligere poenam,
Censeo, et arbitrium natae, quancunque libebit.

NICOSTRATA

Qui poterit, coniunx, acrem decernere poenam,
Vidit olympiadem quae nondum a tempore quartam,
761 Quo nata est, hominum quae vivens nec mala sensit,
Scilicet in plumis semper nutrita puella ?

CHARILAUS

Hoc aliquid confinget inauditum magis, uxor,
Quo genera ignorat poenarum, est mos quibus uti.
Ast nunc ipsa ratum statuet, si quicquid habebit,
765 Filia ; quicquid erit, coram proferre iubebo.

NICOSTRATA

Est quodcunque ratum statuet mea filia. Sed nunc,
Gnata, nec — admoneo — quod femina, respice, nec quod
Es iuvenis, sexus mentem nec molliat aetas !
Quin age re dignos animos tibi sume viriles
770 Et statue, ulta tuum bene quo videaris honorem.

CHARILAUS

Flammae oleum noli, coniunx, infundere vivae !
Quin poenam, quacunque libet, dic, hunc modo plecti,
Aetate atque tui qui, nata, erravit amore.

NICOSTRATA

Flammae etiam laticem tu infundere, viva
775 Pectore, ut exstinguas, coniunx, est si qua puellae.

CHARILAUS

Dic age, supplicium hic vis, filia, quod patiatur !

CALLIROE

Ire, pater, divum per magna exempla monebas
Ante, equidem memini, paulo matrem. Mihi sanctos
Est quoque caelicolas animus sectarier ipso
780 Te doctore. Velim, qua Tantalus, afficiatur
Hic igitur poena, positas qui attingere mensas
Non audet rabida miserum prohibente Megaera.

NICOSTRATA

Euge, deos teneris quod, nata, imitaris ab annis.

CHARILAUS

Maternum prodis, quae tam crudelis amanti
785 Esse potes, nata, ingenium. Melior mihi de te
Spes fuit. At quoniam sic est sententia, triste
Ipsa ministerium per tete hoc exige, voce

Et propria miserum condemna! Nolo equidem nam
Auctorem tantae me dicier impietatis.

790 Protinus ergo reum, vos, huc adducite, servi,
Virginis ut pereat verbis nunc, cuius ab ore
Ante quidem tacitae periit, quum captus amore est.
Hic sta, quamque feres, cognosce a virgine poenam!

EUTYCHUS

Mors vel poena equidem, vivens, utcunque dabit sors,
795 Virginis ambrosio quavis, rex, plectar ab ore,
Iam levior multo mihi, mitior atque videtur,
Voce quod hanc propria dignabitur ipsa iubere,
Pro cuius visa est mihi vita haec vilis amore.
Vivum aut extinctum saltem solabitur auctor
800 Vitae vel mortis vel poenae quamlibet acris.

NICOSTRATA

Dic age, gnata, sine hunc tempus nec perdere nugis!

CALLIROE

Morte quidem dignus modo plecti; munere nostro
Vive nec invitis, si quid sapis, oscula ferto
Virginibus, veniam sperato nec tibi posthac!
805 Quod superest, lectos mihi sparsisti quia flores,
Ternos mane memor calathos ter quolibet affer
Floribus impletos, quoad est nullus mihi coniunx.

NICOSTRATA

Proh, mea gnata, quid hoc? Estne hoc sanctos imitari
Caelicolas? Poena est, qua Tantalus excruciat,ur,
810 Haecceine? Credebam longa hunc consumere velles,
Gnata, fame, ut meritis, taetroque in carcere sicca
Extenuare siti. Rata, rex, sententia ne sit,
Oro, iube! Nanque ipse vides, quam sit puerilis.

CHARILAUS

Irrita qui iubeam fiat, tecum statuendi
815 Ante dedi arbitrium qui natae, quod libuisset?
Quin, famuli, manicis mox hunc absolvite, vadat
Ut quocunque velit iussosque a virgine flores
Ut legat. I, dominae mandatorumque memento!

EUTYCHUS

In freta dum fluvii current, dum montibus umbrae
820 Lustrabunt —

CHARILAUS

I modo, non vacuum mihi nunc sermonibus aures
Est praebere tuis et fac, quae filia iussit!

NICOSTRATA

Ergo impune feret peccatum hic, nata, tibi que
 Atque mihi illudet? Faciam sed, si modo vivo,
 825 lunonem testor —

CALLIROE

Quid, mea, succenses, genitrix? Sum nempe imitata,
 Si vis nosse, Iovem. Nam certe hunc torqueo poena
 Tantalea, quovis iussi quem mane venire,
 Scilicet ut videat nec tangere possit amatum
 830 Corpus et hinc doleat graviusque uratur amore.

NICOSTRATA

Quid si tu doleas magis illo, filia? Nempe
 Efficiam, ut multos tibi flores afferat annos.

CHARILAUS

Euge, deos teneris quod, nata, imitaris ab annis,
 Rectius et quod me divina poemata, quamvis
 835 Parva, tenes sensusque arcanos eruis inde.
 Nam, quod speravit genitrix, hoc ipse verebar,
 Esurie atque siti miserum ut consumere velles.
 Ingenium sed enim, nata, in te agnosco paternum
 Nunc tandem, prae te quum nostram fers pietatem.
 840 Sed iam ornata diu, coniunx, exspectat, eamus,
 Nos puppis. Placidum est aequor. Placida ut quoque mens sit,
 Fac, tua! Nunc, famuli, in navim, quibus est opus, at vos,
 Sarcinulas afferte citi, dum ventus et undae
 Ecce favent, liceat si forte attingere Naxon,
 845 Ante suos tollat quam Phoebe argentea currus.

CALLIROE

Quin, precor, ante mihi nostro placa genitricem,
 O pater, iratam, quam solvis litore funem!

CHARILAUS

Immo etenim pariter, nata, hinc vectabere mecum,
 Interea et, salsos feriet dum navita fluctus,
 850 Ut vos componam, tempus captabo modumque. At
 Nunc, nanque, en, adsunt famuli, navim ingrediamur!

SCRIPTURA.

Librarius in codice exarando in universum scribendi ratione recentiore usus est, imprimis diphthongos vel restituens (ae: *Laedi* 230, *aevi* 717; oe: *moenia* 232, *poenam* 384) vel saepissime litteris caudatis (e=ae, e=oe) significans. Paucis tamen locis consuetudinis medii aevi vestigia apud eum occurrunt (velut *quedam* praef. 32). Huius orthographiae vestigia, quae e textu ipso sustulimus, una cum formis falso restitutis in Annotationibus afferentur.

Alia, quae in textu edendo mutavimus, in Annotationibus autem silentio praeterimus, haec sunt:

Librarius in litteris maiusculis adhibendis sibi non constitit (cf. *Cytherea* 103 - *cytherea* 167, *Veneris* 102 - *ueneris* 76, *Rex* 468 - *rex* 497, *domini Illustris* praef. 1 - *illustres domini* praef. 28). In singulorum versuum initiis semper litteras maiusculas collocavit, quam consuetudinem retinuimus. In nominibus propriis ubique litteras maiusculas, in appellativis minusculas scripsimus.

Librarius vocabula enclitica seorsim scribere solitus est, velut: *parat' que* 35, *nec ne* 231, *in quo ue loco* 450, *quo nam* 620, *At qui* 701; ubique coniunximus (*paratque*, *neque* . . .).

Librarius in maiusculis semper *Venus*, *Vlixes*, *Vulnus*, *Vtrum*, in minusculis *uenit*, *uacuu*, *uulnu*, *utrum* scripsit; nos Bibliothecae consuetudinem observantes consonantem (V, v) a vocali (U, u) distinximus.

Rationem interpungendi a librario adhibitam non retinuimus.

ANNOTATIONES CRITICAE.

IACOBUS—PROCERES] [Ad . . . Rosenses proce]res*) splendidissimos Iacobi Canteris Phrysi in libellum, qui Rosa Rosensis inscribitur, Praefatio - 3. Satyroglyphus - latrone viator] *e Iuvenale* (10, 22) *supplevi**) - 9. cathaclysmis - 16, seponumero - 17. Aenaeas - 21. greciae - europe - 22. tollerabilior - 24. Salustio - 26. archana - 28. quae] *Que* - 30. alme - mirtus - 31. uestre - 32. quedam - 33. Quod siqua - amenitate - 34. Cenobio

ARGUMENTUM] Argumentum opusculi sequentis - 1. Eutichus

PERSONAE] personae quae in hoc poema veniunt - 4. Climene - 5. Eutichus - 6. Euribates - 8. Talthibius

ROSA ROSENSIS] Incipit Rosa Rosensis - 1. CALLIROE] Calliroe loquitur - 2. hyemis - expaciari - 3. Zephiro - 6. NI. - chara - 7. Zephirus - 8. queso - 9. CAL. - 10. charior - 14. CHA. - 16. NI. - 17. Climene - 18. CLI. - 20. NI. - 21. CAL. - *post* 21. Propositio questionis cum duplici opinione - 22 NI. - 23. hiblae - 35—36. *parat que*, ! *Et parta* - 48. CHA. - 57. NI. - 62. CHA. - 67. Quinetiam - 73. Queritur - 76. Quod siqua - 80. NI. - 84. CHA. - *post* 85. Responso ad superiorem reginae interrogationem - 95. Hiacynthus - 96. charus - 106. infelix - 107. seipsum - 130. et si - 139. Quod si - 140. Dodone - 141. lybicas - 143. hymeti - 148. foemina - 149. phamam - 155. Quod si - 156. Queritur - tercius - 158. NI. - 159. imo - *post* 159. Vnde et quo pacto rosa candida originem duxerit - 160. CHA. - 168. NI. - 169. CHA. - 172. NI. - 174. CHA. - 180. coeli - 180. Zephiro - 191. littore - 217. clypeo - 218. Aenaeas - *post* 219. De rosa purpurea - 220. NI. - 223. Aenaeadae - 224. CHA. - 227. NI. - 228 u - 231. CHA. - 232. troie - 233. Tytidae (cf. *Ov. Met. XIII. 68, ubi nonnulli codd. formam tytides exhibent*) - 234. millia - 240. extat - 246. Exequar - incoepi - 248. NI. - 250. diue - 251. CHA. - 252. prophani - 257. syluae - 263. tytides (cf. 233.) - 265. imo - 269. Laetiferum - 272. Aenaeae - 285. clypeos - 289. Premia - 298. *que* - 300

*) De lacunis cf. descriptionem codicis in Introductione (cod. 4.), pag. 6.

tisben - 303. clypeum - Aenaeas - 304. clypei - 309. clypeo - 313. clypeus - 316. aenaeae - 321. Hercinia - syluae - 327. NI. - *post* 328. Ex deambulatione moerens redit puella - 333. CHA. - 335. NI. - lachrymant - 337. CHA. - 341. NI. - 345. CAL. - 349. NI. - 353. CHA. - 355. NI. - δ - 358. CLI. - 361. celo - 366. NI. - Climene - 369. lachrymat - 370. CLI. - 375. Eutichus - 381. NI. - 382. nate - 387. exultans - 388. CHA. - 389. Talthibius - syluas - 391. Euribates - 397. NI. - 398. penas - 399. querunt - 403. CLI. - 414. Expectare - 419. syluas - 421. grallatores - *precedere* - 426. lachrymas - 431. Climene - 440. Brachia - tenere - puelle - 443. EVR. - 444. CHA. - euribate - 446. Talthibius que - 448. EVR. - Querit - 449. CHA. - 453. EVR. - 459. brachia - 463. CHA. - caelaueris - 466. - EVT. - 469. CHA. - 470. teteipsum - 476. EVT. - 479. Quam prius - 481. CHA. - 482. EVT. - 486. charior - 497. Hec - 501. CHA. - 504. EVT. - 506. CHA. - 511. Smyntheus - 516. EVT. - 519. CHA. - 521. EVT. - 533. CHA. - 537. NI. - 543. CHA. - 544. ω - tipula - 548. NI. - pudicia - 567. Splendide - *moestae* - 568. CHA. - 572. NI. - 580. quereret - 582. Gloris - hiacynthos - 585. Gloris - 588. Gloris - 589. ortis - 590. Gloris - 594. CHA. - 600. NI. - 601. tytiden (cf. 233.) - 608. CHA. - 610. CAL. - 613. CHA. - 615. NI. - 620. CHA. - 622. NI. - 632. CHA. - 633. NI. - 634. CHA. - 635. NI. - 636. siqua - 639. siquid - 641. CHA. - Imo - 642. NI. - 643. CHA. - 646. NI. - expectas - 648. CHA. - 658. NI. - *post* 658. Amantes miserrimos esse mortalium - 659. CHA. - 662. Nec est - 670. Quinimo - 674. saccare - 678. erumnis - 679. siqua - 683. NI. - 687. coecus - 690. CHA. - 691. coeco - 695. NI. - Imo - 698. CHA. - 701. NI. - *post* 701. Laudatio mortis in utraque fortuna - 702. CHA. - 704. erumnarum - 709. foelix - 715. Oiclide - 717. moetas - 736. NI. - 737. Peryllus - 739. precium - 741. CHA. - 744. NI. - 745. CHA. - 751. NI. - 752. CHA. - Expectare - 758. NI. - 762. CHA. - 764. habebis - 766. NI. - 767. foemina - 771. CHA. - 774. NI. - 775. extinguas - siqua - 776. CHA. - 777. CAL. - 779. celicolas - 782. Megea - 783. NI. - 784. CHA. - 789. tante - 794. EVT. - 799. extinctum - 801. NI. - 802. CAL. - 803. siquid - 807. quo ad - 808. NI. - 810. Heccine - 811. tetro que - 814. CHA. - 819. EVT. - 821. CHA. - nuc - 822. prebere - 823. NI. - 826. CAL. - 831. NI. - 833. CHA. - 835. archanos - 840. expectat - 846. CAL. - 847. δ - littore - 848. CHA. - Imo - *post* 851. Finis.

FONTES.

PRAEFATIO. - 3. Aquinas : *Juvenal.* 10, 22 - 6. Paulus : *Cor.* II 12, 11 - 8. Cicero : *Tusc. disp.* I 83-12. Platonis : *Phaedo* 60 B - 13. Venusinus . . . poeta : *Hor. Carm.* II 16, 27 sq. - 15. Seneca : *De remediis fortuitorum, passim* - Petrarca : *De remediis utriusque fortunae, passim* - 17. Maronem : *Verg. Aen.* I 203 - 18. Nasonem : *Ovid. Met.* I 251 sq. - 23. Certe hinc etc. : *Verg. Aen.* I 234, 237 - Hoc equidem etc. : *ibid.* 238 sq. - 26. Sergiorum etc. : *Serv. ad Verg. Aen.* V 117 - Maronem : *Verg. Aen.* I 288.

ROSA ROSENSIS. - 27. quando Oenopiam etc. : cf. *Ovid. Met.* VII 517-660 (*Pestilentia, Myrmidones*) - 40. quae fertur etc. : cf. *Ovid. Met.* VI 5-145 (*Arachne*) - 93. Crocus etc. : cf. *Ovid. Met.* IV 283 - 95. Hyacinthus : cf. *Ovid. Met.* X 162-219 - 100. heros : cf. *Ovid. Met.* XIII 1-398 (*Armorum iudicium, Aiax*) - 104. iuuenis Cinyreus : cf. *Ovid. Met.* X 503-739 (*Adonis*) - 105. iuuenis : cf. *Ovid. Met.* III 344-510 (*Narcissus*) - 123. interposita etc. : cf. *Valer. Max.* VIII 8 ext. 1 - 153. non missura etc. : *Hor. A. P.* 476 - Saturni etc. : cf. *Serv. ad Verg. Aen.* III 707, *Mythogr. Vat.* I 203, *Isid. Etym.* VIII 11, 76 sq. - 199. Cerberus : cf. *Ovid. Met.* VII 408 sqq. - 201. miscent etc. : *Ovid. Met.* I 147 - 225. divae sanguine etc. : cf. *Geopon.* XI 17, 3 λευκὸν τὸ ῥόδον πρότερον ὄν, τοῦ ἰχθύος τῆς Ἀφροδίτης ἀποδύνεντος, . . . τὴν χροάν μετέβαλε - 232. Martem etc. : *Hom. Il.* V 859 sqq. - 239. Uranius etc. : cf. *ad* 176 - 241. qui tela etc. : *de Vulcano recedit ab Hom. Il.* XVIII 395 sqq. - 243. haud passibus aequis : cf. *Verg. Aen.* II 724 - 255. Martius . . . lupus : cf. *Verg. Aen.* IX 566 - 266. Forte etenim etc. : *recedit ab Hom. Il.* V 311 sqq. - 280. Scipiadus etc. : *versus compositus e Verg. Aen.* VI 842 sq. et *Lucret.* V 1296 - 297. quibus alma Dione : *Ovid. Ars* III 3 sq. - 298. morus : cf. *Ovid. Met.* IV 158 sqq. - 423. longas etc. : *Ovid. Her.* 16, 166 - 513. hu-

mano etc.: cf. *Hor. A. P. I sqq.* - 522. sq. aquila . . . olor . . . taurus: cf. *Ovid. Met. VI 108 (Asterie), 109 (Leda), 104 (Europa)* - 524. Martem: cf. *Ovid. Met. IV 171 sqq.* - 569. Gradivum etc.: cf. *Ovid. Fast. V 229 sqq.* - 582. Chloris: cf. *Ovid. Fast. V 159 sqq.* - 588. Lampsaco: cf. *Mythogr. II fab. 38 (Priapus)* - 628. odiat . . . dum . . . metuat: cf. *A. Otto, Die Sprichwörter p. 252* - 647. quarta . . . linea amoris: *Donat. ad Ter. Eun. 640 quinque lineae perfectae sunt ad amorem: prima visus, secunda alloqui, tertia tactus, quarta osculi, quinta coitus* - 666. amantem . . . amentem: cf. *Plaut. Merc. 82 al.* - 670. alterius . . . in corpore: cf. *Plut. Cato mai. 9* - 673. mellis . . . fellis: cf. *Plaut. Cist. 69 al.* - 674. aloes: cf. *Iuvenal. 6, 181* - 689. fenestra: cf. *Terent. Heaut. 481* - 708. Solone: cf. *Herod. I 30 sqq.* - 713. carcer: cf. *Tertull. anim. 53 al.* - 715. Graius . . . poëta: *Aeschyl. Septem 609 sqq.* - 721. Troilus: cf. *Verg. Aen. I 474* - 736. Perillus: cf. *Ovid. Ars I 653 al.* - 770. Flammæ oleum . . . infundere: cf. *A. Otto, Die Sprichwörter p. 253* - 819 sq. In freta . . . Lustrabunt: *Verg. Aen. I 607 sq.*

CAPITULA RUBRA.

ante	v.	1 :	Incipit Rosa Rosensis.
post	"	21 :	Propositio questionis cum duplici opinione.
"	"	95 :	Responsio ad superiorem reginae interrogationem.
"	"	159 :	Unde et quo pacto rosa candida originem duxerit.
"	"	213 :	De rosa purpurea.
"	"	328 :	Ex deambulatione moerens redit puella.
"	"	659 :	Amantes miserrimos esse mortalium.
"	"	701 :	Laudatio mortis in utraque fortuna.
"	"	851 :	Finis.

INDEX NOMINUM.

arg(umentum), c(on)f(er), pers(onae), praef(atio)

Achilles cf. Aeacides	Caelus (Uranus) 180 ; cf.	366 370 403 431
Adonis cf. Cinyreus, iu-	Uranus	Corona (Aurea, Zlatá Ko-
venis	Caesares 277	runa, oppidum in Bohe-
Aeacides (Achilles) 100	Calliope arg. 1; pers. 3 ; 1 9	mia meridionali) praef.
722	21 345 610 777 802 826	34
Aeacus cf. Asopiades	846	Crocus 93
Aegina cf. Oenopia	Camilli 278	Cupido 661
Aeneadae 223	Cecrops 24	Curii 279
Aeneas praef. 17 ; 218	Centaurus 124	Cypria 195; cf. Venus
268 272 303 316	Cerberus 199 364	Cyprus 191
Aeschylus cf. Graius, po-	Ceres 32	Cytharea 103 167 209 246
eta	Charilaus praef. 31 ; arg.	286 327 ; cf. Venus
Agrigentinus, tyrannus	1 ; pers. 1 ; 14 48 62 84	Cythareis 183 ; cf. Venus
(Phalaris) 738	160 169 174 224 231 251	
Alcides 678 ; cf. Hercules	333 337 353 388 444	Danai 235
Alexander (Paris) 182	449 463 469 481 501	Dardanii 235; Dardanium,
Alphus (Eutychipater) 374	506 519 533 543 568	genus 284
Amphiaraus cf. Oeclides	594 608 613 620 632	Decii 279
Anchises 205	634 641 643 648 659	Diana cf. Phoebe, Trivia
Aphroditis (sic) 186 ; cf.	690 698 702 741 745	Diomedes cf. Tydides
Venus	752 762 771 776 784	Dione 297 ; cf. Venus
Apollineus, luctus 98	814 821 833 848	Dodona 140
Apollo 509 716 ; cf. Smin-	Charites 291	Drepanum 179
theus	Chloris 582 585 588 590	
Aquinas (Iuvenalis) praef. 3	Cicero praef. 8	Erinnys 730
Arachne 45 ; cf. Idmonis	Cinyreus, iuvenis (Ado-	Europa praef. 20 21
Asia praef. 20	nis 104	Eurybates pers. 6 ; 391
Asopiades (Aeacus) 29	Cloanthus Troianus praef.	443 444 448 452
Attica, mella 54 61	26	Eutychus arg. 1 ; pers. 5 ;
Atticus, Perillus 737	Clodii praef. 26	375 466 476 482 504
Aurora 222	Clymene pers. 4 ; 17 358	516 521 794 819

- Fabii 278
 Fabricii 279
 Germania 320
 Gradivus 524 569; cf.
 Mars
 Graecia praef. 21
 Graius, poeta (Aeschylus)
 715
 Hegesias praef. 8
 Herculeæ, dextra 201
 Hercules pr. 30; cf. Al-
 cides
 Hercynia, silva 321
 Horatius cf. Venusinus,
 poeta
 Hyacinthus 95
 Hybla 23
 Hymettus 143
 Ida Phrygia 205 236
 Idmonis 42; cf. Arachne
 Iliaca, nobilitas praef. 22
 Iulius (Caesar) praef. 26
 Iulus praef. 26
 Iuno 183 (Iovis uxor),
 329 360 554 564 567
 571 575 586 588 590
 598 615 825; cf. Saturnia
 Iunonius, flos 611
 Iuppiter praef. 18 23; 183
 241 482 501 504 511
 521 551 569 573 577
 579 605 650 716 827;
 cf. Tonans
 Iuvenalis cf. Aquinas
 Lachesis 727
 Lampsacus 599 612
 Latium praef. 21
 Libycae arenae 141
 Livius praef. 24
 Lycurgus 306
 Maius (mensis) praef. 34
 Maro (Vergilius) praef. 17
 24
 Mars 121 233 306 524
 592 593; cf. Gradivus
 Martius, lupus 255
 Megaera 782
 Mercurius 508 511
 Minerva 41 182 (Iovis
 nata), 574; cf. Pallas
 Myrmido populus (Myr-
 midones, Aeginetae) 32
 Naso (Ovidius) praef. 18 24
 Naxos 844
 Neptunus 190
 Nicostrata pers. 2; 6 16
 20 22 57 80 158 168
 172 220 227 248 327
 335 341 349 355 366
 381 397 537 548 572
 600 615 622 633 635
 642 646 658 683 695
 701 736 744 751 758
 766 774 783 801 808
 823 831
 Nonae praef. 34
 Oceanus 579
 Oeclydes (Amphiaraus)
 715
 Oenopia (Aegina) 27
 Olenei, campi 597; —,
 horti 589
 Olympus 241 557 649
 Orsini (Italice) cf. Ursini
 Ovidius cf. Naso
 Pallas praef. 30; 572; cf.
 Minerva
 Paphia 125 197; cf. Venus
 Paris cf. Alexander
 Paulus apostolus praef. 5
 Perillus Atticus 737
 Petrarca, Franciscus
 praef. 15
 Phaedo Platonis praef. 12
 Phalaris cf. Agrigentinus,
 tyrannus
 Phoebe 845; cf. Diana
 Phoebus pr. 30; 96 510
 526
 Phoenix pers. 7; 390 446
 Phrygia, Ida 205
 Plato praef. 12
 Priamus 720
 Prometheus 722
 Pyramus 300
 Roma 319
 Romana nobilitas praef.
 24; 275; Romani praef.
 23 28
 Rosensis, familia praef. 28
 Roseus mons (Rosenberg)
 320
 Sallustius praef. 24
 Saturnia 563 581 590; cf.
 Iuno
 Saturnus 169 176 180
 Scipiadae gemini (uter-
 que Scipio Africanus)
 280
 Seneca praef. 15
 Sergestus Troianus praef.
 26
 Sergii praef. 26
 Serrani 279
 Sicilia 178; cf. Trinacria
 Smilax 93
 Smintheus 511; cf. Apollo
 Socrates praef. 12
 Sol 113
 Solon 708
 Spartani 307
 Styx 588
 Talthybius pers. 8; 389
 446
 Tantalea, poena 828
 Tantalus 727 780 809
 Thisbe 300
 Tisiphone 365
 Tonans 587; cf. Iuppiter
 Trinacria 179; cf. Sicilia
 Trivia 362; cf. Diana
 Troia praef. 21 22 23; 232
 Troiana, nomina praef. 26;
 Troiani, Sergestus et
 Cloanthus praef. 26;
 Troianum, excidium
 praef. 20; —, genus
 324; Troianus, sanguis
 praef. 27
 Troilus 721
 Troius, Aeneas 303; —,
 Anchises 205
 Tusculanae (disputatio-
 nes) praef. 8
 Tydides (Diomedes) 233
 263 601
 Tyrii, amictus 596
 Ulixes 101
 Uranius (Uranus) 239; cf
 Caelus
 Ursini (Italice: Orsini)
 praef. 28; 281 319
 Venus pr. 22 26 28 29 30
 33; 70 76 102 185 206
 206 212 216 224 271
 285 291 496; cf. Aphro-
 ditis (sic), Cypria, Cy-
 therea, Cythereis, Di-
 one, Paphia
 Venusinus, poeta (Hora-
 tius) praef. 13
 Vergilius cf. Maro
 Vulcanus 117 241
 Xanthus 236
 Zephyrus 3 7 190

[SAECULUM XV.]

Pengő

Martius Narniensis, Galeottus, Carmina, ed. L. <i>Juhász</i> . 1932. —	2.40
— De egregie, sapienter, iocose dictis ac factis regis Mathiae ad ducem Iohannem eius filium liber, ed. L. <i>Juhász</i> . 1934. — —	3.60
— De incognitis vulgo, edd. L. <i>Juhász</i> —T. <i>Kardos</i> . (Apparebit.)	
— Epistolae, ed. L. <i>Juhász</i> . 1930. — — — — — — —	1.40
— Invectivae in Franciscum Philelphum, ed. L. <i>Juhász</i> . 1932. — —	3.50
Pannonius , Ianus, Opera, edd. I. <i>Huszt</i> —L. <i>Juhász</i> . (Excuduntur.)	
Phillelfus , Franciscus, Sphortias, ed. I. <i>Fögel</i> . (Apparebit.)	
Rabenstein , Iohannes de, Dialogus, ed. B. <i>Ryba</i> . (Apparebit.)	
Ransanus , Petrus, Epitoma rerum Hungararum, ed. L. <i>Juhász</i> . (Excuditur.)	
Savonensis , Guilhelmus, Dialogus, an mortui sint lugendi an non. ed. H. <i>Maschek</i> . (Apparebit.)	
Seneca , Thomas, Historia Bononiensis. Qualiter Galeatius Mare- scottus eques extraxit Hannibalem Bentevolum de carceribus et reliqua per utrunque gesta. Carmen epicum, ed. I. <i>Fögel</i> . 1932.	4.70
Strozza , Titus Vespasianus, v. Saecula XV—XVI.	
Valagussa , Georgius, Epistolae, ed. L. <i>Juhász</i> . (Apparebunt.)	
Vitez de Zredna, Iohannes, Epistolae — Orationes, ed. I. <i>Huszt</i> . (Apparebunt.)	
Zagabriensis , Georgius, v. Barius, Nicolaus.	
Zovenzonius , Raphael, Carmina, ed. L. <i>Smith</i> . (Apparebunt.)	

SAECULA XV—XVI.

Andronicus Tragurinus, Matthaeus, Epithalamium in nuptias Vla- dislai Pannoniarum ac Boemiae regis et Annae Candaliae re- ginae, ed. L. <i>Juhász</i> . 1933. — — — — — — —	1.40
Bohuslaus Hassensteinus, v. Hassensteinus baro a Lobkowicz, Bohuslaus.	
Bonfinis , Antonius de, v. Saeculum XV.	
Canter Frisius, Iacobus, Rosa Rosensis, ed. B. <i>Ryba</i> . 1938.	2.40
Celtis Protucius, Conradus, Libri epigrammatum quinque, ed. F. <i>Pind- ter</i> . (Apparebunt.)	
— Libri odarum quattuor — Liber epodon — Carmen saeculare, ed. F. <i>Pindter</i> . 1937. — — — — — — —	9.60
— Ludi scaenici (Ludus Dianae — Rhapsodia), ed. F. <i>Pindter</i> . Excuduntur.	
— Oratio in gymnasio in Ingelstadio publice recitata. Cum carmi- nibus ad orationem pertinentibus, ed. I. <i>Rupprich</i> . 1932. —	1.80
— Quattuor libri Amorum secundum quattuor latera Germaniae — Germania generalis. Accedunt carmina aliorum ad libros Amo- rum pertinentia, ed. F. <i>Pindter</i> . 1934. — — — — —	8.80
Fontius , Bartholomaeus, Carmina, edd. I. <i>Fögel</i> —L. <i>Juhász</i> . 1932.	2.70
— Epistolarum libri III, ed. L. <i>Juhász</i> . 1931. — — — — —	6.—
Hassensteinus baro a Lobkowicz, Bohuslaus, Carmina, ed. B. <i>Ryba</i> . (Apparebunt.)	
— Epistolae, ed. A. <i>Potuček</i> . (Excuduntur.)	
— Scripta moralia — Oratio ad Argentinenses — Memoria Alex- andri de Imola, ed. B. <i>Ryba</i> . 1937. — — — — —	3.50

[SAECULA XV—XVI.]

Pengő

- Nagonius, Iohannes Michael, Carmina, ed. B. Ryba. (Apparebunt.)
 Naldis Florentinus, Naldus de, De laudibus bibliothecae libri IV
 ad Mathiam Corvinum Pannoniae regem, edd. L. Juhász—S.
 Mocarski. (Apparebunt.)
 — Elegiarum libri III ad Laurentium Medicen, ed. L. Juhász. 1934. 7.40
 Piso, Iacobus, Opera, ed. L. Juhász. (Apparebunt.)
 Strozza, Titus Vespasianus, Borsias (Fragmenta) — Bucolicon li-
 ber, edd. I. Fögel—L. Juhász. 1933. — — — — — 2.—
 Verinus, Ugolinus, Carlias, edd. I. Fögel—L. Juhász. (Apparebit.)
 — Epigrammatum libri VII, edd. I. Fögel—L. Juhász. (Apparebunt.)
 — Panegyricon ad Ferdinandum regem et Isabellam reginam Hi-
 spaniarum de Saracenae Baetidos gloriosa expugnatione, edd.
 I. Fögel—L. Juhász. 1933. — — — — — 3.—
 Warda, Petrus de, Epistolae, ed. I. Fögel. (Apparebunt.)

SAECULUM XVI.

- Corvinus, Elias, Ioannis Hunniadae res bellicae contra Turcas. Car-
 men epicum, ed. O. Sárkány. 1937. — — — — — 2.40
 Crosnensis Ruthenus, Paulus, Opera, ed. A. Kozocsa. (Apparebunt.)
 Cybeleius, Valentinus, Carmina — Declamatio de vini et aquae
 potioribus, utrum hi vel illi laudabiliores sint, ed. M. Révész.
 (Excuduntur.)
 Duditius, Andreas, Epistolae, edd. P. Costil—L. Juhász. (Apparebunt.)
 — Opera varia, edd. P. Costil—L. Juhász. (Apparebunt.)
 Frankfurter Pannonus, Bartholomaeus, Opera, ed. A. Vargha.
 (Apparebunt.)
 Illicinus, Petrus, Carmina, ed. I. Ribiczey. (Apparebunt.)
 Macedonia, Ladislaus de, Orationes II, ed. E. Szimonidesz. (Ap-
 parebunt.)
 Magius, Sebastianus, Opera, ed. M. Révész. (Apparebunt.)
 Merenda, Livius, Hercules — Seilas (Fragmenta). Ludi scenici, ed.
 H. Tescari. (Apparebunt.)
 Olahus, Nicolaus, Carmina, edd. I. Fögel—L. Juhász. 1934. — — 4.—
 — Hungaria — Athila, edd. C. Eperjessy—L. Juhász. 1938. — — 7.40
 Sambucus, Ioannes, Epistolae, ed. I. Gerstinger. (Apparebunt.)
 Sirmiensis, Georgius, Epistola de perdicione regni Hungarorum, edd.
 L. Erdélyi—L. Juhász. (Apparebunt.)
 Stretzing, Thomas, Oratio de divo Leopoldo III. Austriae mar-
 chione in universitate Vindobonensi habita, ed. H. Maschek. 1934. 1.40
 Taurinus, Stephanus, Stauromachia, id est Servilis belli Pannonici
 libri V, ed. Z. Császár. (Excuduntur.)
 Thyrnavinus, Martinus, Adhortatio belli contra Thurcos suscipiendi
 ad regni Hungariae proceres, ed. Z. Császár. (Apparebit.)
 Wolphardus, Adrianus—Wolphardus, Hilarius, Opera, ed. Io.
 Ernuszt. (Excuduntur.)

SAECULA XVI—XVII.

- Istvanffy, Nicolaus, Carmina, ed. I. Holub—L. Juhász. 1935. — 4.60